MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80153-3

AUTHOR:

ENGBERS, BERNHARD HEINRICH

TITLE:

DE METRICIS INTER TIBULLI...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1873

Master Negative #

91-80153-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Engbers, Bernhard Heinrich,
De metricis inter Tibulli Propertique libros differentiis questionum pars prima, continens capita de positione ante mutum cum liquida, de synaloephis, de caesuris, de metricis finibus. Dissertatio philologica quam... in publicum edidit Bernardus Henricus Engbers... Monasterii, ex typographia Theissingiana, 1873.
67 p. 21½ cm.

Thesis, Rostock.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/25/91 INITIALS N.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202






Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE METRICIS INTER TIBULLI PROPERTIQUE LIBROS DIFFERENTIIS QUESTIONUM

PARS PRIMA

CONTINENS

CAPITA DE POSITIONE ANTE MUTAM CUM LIQUIDA, DE SYNALOEPHIS, DE CAESURIS, DE METRICIS FINIBUS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ALMAE LITTERARUM UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

IN PUBLICUM EDIDIT

BERNARDUS HENRICUS ENGBERS
PRESBYTER CINCINNAT.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA THEISSINGIANA.

MDCCCLXXIII.

Praemittenda.

Tibullus et Propertius, quomodo in re metrica vel inter se eodem modo procedant, vel diversam teneant viam; deinde quibus in rebus Tibulli, cui vulgo quattuor adtribuuntur libelli, inter se carmina hac in re differant, quum hucusque consideratum non sit, ita nobis investigandum proposuimus, ut vel minima, quae sive ab aliis sive a nobis alterutri propria iam sint reperta, fideli adnotatione digna existimaverimus. Qua in re, priusquam rem ipsam adgrediamur, notandum videtur, de lectionibus dubiis, variis, falsis, de coniecturis, de rectis sententiarum formis a nobis non tractari nisi propter ipsam huius dissertationis indolem ad ea pervenerimus. In illis vero locis ubi per varias lectiones coniecturas differentias res metrica adficitur, has pro viribus ante oculos legentium ponendas censuimus. Metricarum autem regularum, quum alias semper optinentes, alias pro diversis poetarum ingeniis diversis modis cooptatas noverimus, posteriores solas accuratius inspiciamus oportet. Quae quaestiones, quum his fere capitibus continentur: de positione ante mutam cum liquida, de synaloephis, de caesuris, de versuum finibus, de arte poetarum in formandis pedibus quarto, secundo, primo, de primo pentametri pede, de longa vel brevi syllaba ancipiti (e, i, o) de hiatu, a nobis ita tractabuntur, ut quattuor, quas primo loco adposuimus, recenseamus, ceteras ad aliud tempus remittentes. Melius tamen ut res perspiciatur, inter Tibulli carmina primo loco illa afferremus, quae re vera ab illo originem duxerunt, secundo loco ea quae a Lygdamo composita esse dicuntur, postremo, ubi occasio se praebuerit de prima libri quarti elegia (de laude Messallae) et de Sulpiciae elegiis pauca adnotantes.

Si vero in enumeratione exemplorum, quod quidem quoad scio nusquam accidit, unum alterumve exemplum oculos nostros fugerit, speramus fore ut illi qui legant et fortasse ipsi experti sint quam facile digitus errare possit, veniam nobis dandam esse existiment.

Caput primum.

De positione ante mutam cum liquida.

§. 1.

De vocali ante mutam mediam cum liquida.

Optime I. Schultzius in initio opusculi de Prosodia Romanorum Satiricorum „legi a veteris Graecorum comoediae scriptoribus diligentissime servatae ut mediae β, γ, δ cum liquidis λ, μ, ν antecedentem syllabam producant" poetas Latinos quoque obsecutos esse docuit. Quamobrem ne sine caussa propositum iter deseiamus, hoc loco vocalem ante mediam cum liquida **r** concurrentem solam tractabimus. Possunt vero tres modi distingui: vocalis vel producitur adiuvante arsi, vel in thesi, vel remanet brevis.

a) br.

In Tibulli carminibus invenimus syllabas:

α) productas in arsi;		β) in thesi:		γ) breves:	
fibra	I, 8, 3;	rūbro	IV, 2, 19;	celĕbrare	I, 3, 33.
	II, 1, 26;	velābri	II, 5, 33.	celĕbrate	I, 4, 75.
				celĕbrem	II, 1, 83.
					5, 115.
				celĕbrent	II, 1, 29.
				celĕbret	I, 6, 17.

deinde breves: concelĕbra I, 7, 50; latĕbras IV, 3, 9; tenĕbris I, 1, 70; I. 10, 50; apud Lygdamum solum legimus:

celĕbrantur 5, 29; celĕbrata 4, 57; celĕbri 2, 28; in laude Messallae: celĕbrans 144;

demum apud Propertium:

colúbris	IV, 10, 53;	lābris	III, 7, 10;	celĕbrare	V, 1, 19.
ébria	IV, 2, 48;		23, 10;	celĕbrarunt	I, 16, 3.
	V, 4, 78; 5, 46;	lībrantem	V, 10, 13;	celĕbrata	IV, 1, 55.
fíbra	V, 1, 104;	lībris	V, 1, 80, 102;	făbricata	IV, 22, 3.
lábra	V, 8, 54;		7, 50;	lăbris	V, 9, 64.
lábris	I, 13, 17;	lībro	V, 9, 72;	opprŏbrii	IV, 12, 12.
líbris	III, 32, 27;	prōbro	V, 4, 36;	opprŏbrio	V, 1, 6.
	V, 1, 63;	rūbris	I, 14, 12.		
lugúbria	V, 11, 97;	rūbro	IV, 12, 6.		
oppróbria	IV, 10, 29;	scābris	V, 5, 77.		
próbra	V, 5, 41.				

deinde in arsi: rúbra IV, 12, 16; salébras IV, 15, 15; tenébras III, 13, 17; V, 9, 41; tenébris III, 22, 35; IV, 14, 17; 15, 5; denique Velábra V, 9, 5.

Quibus inter se comparatis, si vocabula a voce celebri derivata e medio tollimus, quae ut iam Schultzius l. c. notavit, semper e breve recipiunt, eodem fere modo Tibullum et Propertium legibus usos esse elucet, nisi illud notatu dignum iudicemus, quod Tibullus bis voce tenebris anapaestice usus est, dum Propertius tenebras et tenebris bacchico rhythmo profert. Saepius etiam Tibullus quam Propertius voce celebri usus est, quam solam apud Lygdamum et Messallae laudatorem legimus.

b) dr.

In genuinis Tibulli elegiis nullum huius ordinis exemplum invenitur; apud Lygdamum quădrigis 4, 17; apud laudatorem Messallae: quădratum 101; quădrupes 128; apud Propertium: quádrigae III, 32, 39 (ex lectione L. Muelleri: Non prosint tibi quádrigae fata Amphiareae, ubi al.: Non magna Amphiaraeae tibi fata quădrigae;) tum quădrigae IV, 8, 17;

quibus addere libet Graeca et nomina propria:

A'driaci IV, 21, 17; A'dryasin I, 20, 12; cathédra V, 5, 37. Hamádryasin I, 20, 32. Hamádryadum III, 30, 37; Hamádryadas III, 32, 36. hydras III, 19, 9; brevem tamen vocalem in voce Hădriae I, 6, 1, legimus;

e quibus exemplis elucere videtur, Propertium satis saepe syllabam ante **dr** produxisse ut coniecturam in versu 39 el. 32 l. III factam admitti posse iudicemus. Alter tamen locus IV, 8, 17 obstat.

c) gr.

Apud Tibullum legimus:

ágresti II, 5, 28;	mīgravit II, 3, 3;	ăgresti	II, 5, 117;
ágricola I, 7, 61;		ăgrestis	I, 1, 39;
II, 1, 51, 55.		ăgrestes	II, 1, 17;
ágricolae I, 5, 27; 7, 39;		ăgros	II, 1, 17.

deinde:

ágricolas II, 6, 22; ágricolis II, 1, 36; ágri I, 1, 19; ágris I, 1, 11; 8, 19; II, 1, 21; 3, 65; ágros I, 3, 61; 7, 21; II, 1, 1; 3, 3, 17, 79; 5, 41; nígra I, 3, 68; pígra I, 10, 40; I, 2, 29; atque ut illud addamus: podágra I, 9, 73.

Apud Lygdamum regulas strictius servatas invenimus, legimus enim: nígra 2, 10; deinde productas in thesi: nīgra 2, 18; nīgram 3, 37; 5, 5; nīgras 5, 33; nīgris 4, 17; nīgros 5, 15; tīgres 6, 15.

Sulpicia praebet ăgro IV, 8, 4.

Apud Propertium invenimus:

ágrestem	III, 31, 13;	flăgrans	I, 13, 23;	ăgris	V, 8, 2.
ágrestis	III, 12, 14;		IV, 18, 13;	nĭgras	V, 6, 83.
ágrestes	III, 12, 22;	nīgras	IV, 4, 24.		
ágrestum	IV, 12, 25;	nīgros	III, 7, 32.		
ágricolae	III, 12, 8;	quibus addas:			
	32, 74.	Oeăgri	III, 28, 35.		
	V, 8, 14.				

deinde in arsi: ágris III, 12, 3; ágros III, 24, 23; IV, 6, 43; 12, 41; flágrat II, 3, 33; nígra III, 3, 23; 23, 10; 25, 4; V, 3, 14; 11, 2; nígrantes IV, 11. 33. perégrinis I, 2, 4; tígres I, 9, 19.

quibus adnumerari possunt:

Phlégraeis IV, 8, 48; Phlégraeos II, 1, 39; Tígris IV, 3, 4.

In hoc ordine Lygdamus ceteris strictior praedicari debet; praetereundum tamen non est, Tibullum nullam vocem cum correpta syllaba posuisse, nisi quae ab agro originem ducat.

Omnia exempla iam prolata si conferimus, dicere debemus, paucis vocibus exceptis vocalem ante **gr** et **dr** productam esse, ante **br** maiore licentia frui; Lygdamum ita ceteris firmiorem se praebere, ut unico vocabulo quadrigae excepto nisi in certis formis syllabam correptam non admiserit.

§. 2.

De vocali ante tenuem mutam cum liquida r.

Eodem fere modo quo Graeci vocali ante mutam tenuem cum liquida posita utebantur, etiam scriptores Latini illam adhibuerunt. Maiorem enim libertatem quam quae in priore capite adparuit, hic invenimus. Sed iam exempla proferemus.

a) cr.

Apud Tibullum legimus:

ácrem	I, 3, 77; 6, 45;	lăcrimas	I, 5, 38; 10, 63.
lúcra	I, 9, 9;		II, 5, 77.
sácra	I, 3, 25; II, 5, 6;	lăcrimis	I, 1, 62; 8, 54, 73.
sácratis	I, 2, 84;		II, 6, 32, 43; IV, 4, 21.
sácrilegas	II, 4, 26;	săcra	II, 1, 5.
sácris	II, 4, 23;	săcram	I, 3, 18.
(ex lectione: Aut rapiam suspensa		săcras	I, 3, 11, 30; II, 5, 17, 63; 69, 90.
focis insignia sácris; alii: Aut ra-		săcris	I, 7, 48; II, 5, 81.
piam suspensa săcris insignia fanis.)		săcros	II, 3, 23.
		săcrum	IV, 2, 23.
		volŭcres	II, 6, 23;

exempla vocalis longae in thesi nulla.

Apud Lygdamum paullo mutata lege legimus:

Sácra	5, 8;	Săcris	4, 77; 5, 3;	Lăcrimae	2, 25.
		săcros	3, 15.		

in laude Messallae tantum volŭcris 127. 209. invenitur; sed apud Propertium:

lúcra	II, 4, 9.	lūcro	IV, 19, 3;	inlăcrimans	II, 1, 77.
	V, 3, 62.	măcrae	V, 1, 22;	lăcrimae	I, 9, 7.
múcro	III, 20, 15.	săcra	II, 1, 34;		III, 13, 8.
sácra	III, 12, 17.		III, 18, 14;	(vel lăcrimas.)	
	31, 3.		IV, 3, 22, 22, 3.	lăcrimantia	IV, 25, 9.
IV, 1, 1; 8, 46; 9, 30;		(ubi al.: săcrae)		lăcrimas	I, 19, 23.
16, 38; 20, 16; V, 1, 3, 22,		săcrae	IV, 3, 11;		II, 8, 2.
26, 69; 6, 1; 8, 9, 9, 26;		săcraria	IV, 12, 47.		IV, 7, 24; 9, 8.
sácrilegum	IV, 12, 51;	săcris	III, 1, 24;		V, 11, 6, 60.
sácris	V, 6, 1;		15, 15;	lăcrimes	IV, 19, 4;
quibus paucas in no-			IV, 10, 53;	(al.: lăcrimis.)	
minibus propriis produc-		săcro	III, 25, 9;	lăcrimis	I, 3, 46; 6, 24;
tas syllabas adnumerare			V, 9, 33;		10, 2; 12, 16; 16. 4; 16,
possumus:		săcros	III, 28, 39;		32; 18, 16; 19, 18; 21, 6;
A'cron	V, 10, 9, 15;		IV 15, 11;		IV, 5. 37; 14, 29; 25, 5;
Cécropiis	III, 13, 6;	săcrum	V, 9, 43;		V, 1. 73; (al.: Musis.)
	31, 29;	quibus addas:			V, 1, 120; 3, 4; 4, 46;
Lúcrina	I, 11, 10;	Ācronta	V, 10, 7.		7, 28, 69; 11, 1, 57.

deinde breves: săcra III, 17, 15; săcro V, 1, 18; săcram V, 2, 12; volŭcris III, 13, 5; V, 5, 10; volŭcres I, 2, 14; 20, 30; III, 13, 31; IV, 31; 6, 11.

Si igitur numerum syllabarum productarum cum illis quae correptae remanent, comparamus, apud Tibullum minorem quam apud Propertium, apud hos minorem quam apud Lygdamum invenimus; sed si voces ipsas inspicimus, trium tantum vocum derivativa correpta remanere posse apparet, e quibus lacrima et volucris cum derivatis semper brevem syllabam optinent, sacer vero cum derivatis saepius meliusque productam vocalem a adripit. Iam secundum ordinem inspiciamus.

b) pr.

Apud Tibullum singulis exemplis invenimus:

A'pricis	I, 4, 19;	sūprema	I, 1, 59;	prŏprios	6, 63.

apud Lygdamum tantum nomen proprium: Cypria 3, 34; apud laudatorem Messallae sūpra 66 in thesi.

Apud Propertium habemus:

cápripedes	IV, 16, 34;	stūpro	IV, 18, 20;	căprifice	V, 5, 76.
et nomen proprium		stūprorum	III, 30, 41;	prŏpria	IV, 8, 16.
A'priles	V, 5, 35;	stūprum	V, 7, 57.	prŏpriis	I, 2, 6.
		sūpra	I, 20, 35;		III, 7, 45.

	II, 6, 38;	rĕprehendere	
	III, 28, 7; 29, 11;		IV, 18, 9.
	V, 5, 76.		
sūprema	III, 5, 13.		

Nisi illud caprifice apud Propertium inveniretur, brevem tantum vocalem **o** in proprio haberemus, quae vox semper vocalem correptam retinere videtur, sicut etiam ex Schultzii operis citati pag. 19 probatur. Syllabam re etiam ante alias positiones brevem remanere postea videbimus.

c) tr.

Apud Tibullum nulla vox invenitur, quae vocalem brevem ante **tr** in arsi producit, semel producta pātrum I, 1, 41 in thesi, sed bıeves:

pătrii I, 10, 15; II, 1, 17: pătrios I, 3, 33; ŭtrumque I, 4, 38; 10, 58;

apud Lygdamum nullum exemplum prostat, apud laudatorem Messallae correptas syllabas invenimus: ŭtrinque 43, ŭtroque 176, denique apud Sulpiciam arbĭtrio IV, 8, 8, correpta syllaba.

Saepissime tamen Propertius exempla posuit et quidem productarum syllabarum:

pátres	V, 4, 73;	inpētrabile	V, 1, 101.
pátria	V, 1, 64; 2, 48;	lātrantem	IV, 10. 41.
pátris	IV, 2, 29; V, 1, 128;	lātrantia	IV, 17, 23.
pútria	V, 5, 24;	pūtrem	V, 5, 69.
pútris	III, 20, 7; IV, 5, 33; V, 3, 39; 9, 28;	ūtroque	IV, 8, 53.
		vītri	V, 8, 37.
útraque	III, 20, 44; V, 11, 32;	quibus addas:	
et nomina propria:		Lātris	V, 7, 75.
A'tridae	IV, 17, 30;	Pātroclon	II, 8, 33.
A'trides	V, 1, 112;		
Étruscis	I, 21, 2, 10.		
Étrusco	IV, 8, 1.		
Féretri	V, 10, 1, 45.		

deinde correptarum:

Arbĭtrio	V, 1, 143;	pătriis	I, 2, 18; II, 1, 62. 7, 13.
merĕtrix	IV, 10, 39;	ubi al.: Parthis.	
pătres	IV, 10, 32; V, 1, 12;		
pătria	III, 29, 10; IV, 18, 15.	pătrio	II, 7, 20; V, 1, 18.
pătriae	I, 6, 22; 22, 3; IV. 12, 64, 65; V, 1, 60, 122. 6, 24.	pătrios	III, 28, 22; IV, 13, 16. V, 1, 91; 4, 39.
		pătrium	V, 1, 37.
pătriam	III, 30, 31; V, 4, 87. 6, 41.	pătrui	I7, 6, 19.
		penĕtrat	V, 8, 6.
pătrii	IV, 24, 9.	pharĕtra	III, 3, 10.

pharĕtrae	V, 6, 55.	ŭtrimque	III, 23, 8.
pharĕtris	V, 6, 81.	ŭtroque	III, 3, 10; 9, 4; IV, 16, 12.
ŭtraque	IV, 2, 36; 14, 24.	ŭtrosque	I, 13, 20;
ŭtramque	V, 8, 36; 11, 46.	ŭtrumque	IV, 21, 22.

quibus exempla in nominibus propriis prostantia addas:

A'mphĭtryonides	V, 9, 1.	Étrusca	I, 22, 6.
A'trida	III, 6, 1.	Étruscae	II, 1, 29.
A'trides	IV, 6, 23.	Ferĕtri	V, 10, 48.

Apparet igitur syllabas ante **tr** maxima cum libertate a Propertio sive corripi sive produci; de Tibullo, quamquam pro certo affirmari nequit, idem nobis dicendum videtur, ita tamen ut satius ad corripiendas syllabas inclinare videatur et ipse et ceteri praeter Lygdamum.

Ex omnibus quae in hac sectione attulimus exemplis facile concludi potest, Lygdamum qui potius voces ancipiti syllaba ante mutam tenuem cum liquida **r** praeditas devitat, in correptis admittendis cautissime versatum esse: Propertium tamen et Tibullum severiores regulas adhibuisse. Quid denique probare possimus ex reliquis exemplis iam videamus.

§. 3.

De vocalibus ante reliquas positiones vel productis vel correptis.

Exempla quae in prioribus capitibus, quamquam pauca aderant, ex Tibullo et Lygdamo proferre potuimus, hoc capite desunt, prostant pauca apud laudatorem Messallae, nonnulla apud Propertium.

1. Vocalis ante **fr** anceps, quae correpta legitur, admissast in rĕfringat Prop. IV, 2, 44, nisi huc pertinere vis catăphractus IV, 11, 12.
2. Restant vocales ante tenuem cum alia praeter **r** liquida.

a) cl.

Apud Propertium legimus: rĕclusit IV, 18, 24. et in nominibus propriis: Cyclade V, 7, 40; Patróclon II, 8, 33; in arsi, in thesi: Iphīcli II, 4, 8; cuius vocis media syllaba, quamquam apud Homerum, Hesiodum, ceteros semper producitur, pro brevi tenendast ex Pind. Pyth. 9, 150.

b) pl.

Vocalis brevis ante **pl** semper brevis remanet; exempla praebet laudator Messallae duo: dŭplicem 103; dŭplex 105. Propertius quinque: dŭplicentur I, 8, 9; dŭplici I, 3, 13; IV, 1, 22. rĕpleverit II, 1, 67; trĭplices IV, 16, 24.

c) tl.

Vocalem invenimus productam in laude Messallae Ătlantidos 77. et apud Propertium IV, 22, 7 Ătlanta in thesi.

§. 4.

Correptarum et productarum syllabarum inter se collatio.

1. Primo loco illas voces enumerabimus, in quibus metri gratia poetae syllabas correptas vel productas posuerunt.

I. a) Corripi debuerunt syllabae primae in vocibus anapaesticis (◡ ◡ —), quae mutam cum liquida post primam syllabam retinent, sic: lacrimas (ter apud Tibullum, sexies apud Prop.) lacrimis (sexies apud Tib., vicies apud Prop.) lacrimes (semel apud Prop.), prŏprios (semel apud Tib.), propriis (bis apud Prop.), pătriis (ter apud Prop.), patrios (semel apud Tib., quater apud Prop.).

b) Corripi debuerunt syllabae secundae ancipites in vocibus choriambicis, sic: inlacrimans (semel apud Prop.), eodem modo syllaba tertia in: concelebra (semel apud Tib.), syllabae primae in vocibus ionicis a minore et paeonicis tertiis, sic: fabricata (semel apud Prop.), caprifice, duplicentur, (singulis locis apud Prop.).

c) Corripi debuerunt syllabae ancipites in: lacrimantia et Amphitryoniades (singulis locis apud Prop.).

d) Corripi debuerunt nisi per minus usitatam elisionem poetae ultimam vocalem abicere maluerunt, voces in longam vocalem exeuntes sive anapaesticae sive choriambicae: opprŏbrii, opprŏbrio, Hădriae, (singulis locis apud Prop.), lăcrimae (semel apud Lygd., bis apud Prop.) pătriae, (septies apud Prop.), pătriam (ter apud Prop.) pătrii, (bis apud Tib., semel apud Prop.), pătrio, (bis apud Prop.), pătrium, (semel apud Prop.), pătrui, (semel apud Prop.), dŭplicem (semel in laude Messallae), dŭplici (bis apud Prop.) arbĭtrio, (semel apud Sulpiciam, semel apud Prop.).

II. a) Produci debuerunt syllabae ancipites inter longas positae: inpetrabile (semel apud Prop.).

b) Produci debuerunt syllabae ancipites in: Adryasin, Hamadryadum, Hamadryadas, sacrilegum, capripedes (singulis locis apud Prop.), Cecropiis (bis apud Prop.), agricola (ter apud Tib.), agricolae, (bis apud Tib., ter apud Prop.), agricolas, (semel apud Tib.), agricolis (semel apud Tib.).

2. Sunt voces quaedam, quae productam ante mutam cum liquida vocalem nunquam admittant, e quibus exempla promam: omnes voces derivatas a vocabulis volucris, lacrima, celeber, proprius, pharetra, duplex; syllabam re in verbis compositis refringendi, replendi, recludendi, reprehendendi; quae voces omnes, ut obiter moneam, a satiricis poetis productis nonnumquam vocalibus adhibebantur, nisi voces celeber, proprius, recludere excipias. Omnia harum vocum exempla, praeter ea quae metri caussa correpta prius adposuimus, viginti septem inveniuntur.

3. Jam ad illas voces transimus, quae una cum eis quae ab illis originem ducunt, alias aliter proferuntur. Tenebrae inveniuntur producta syllaba quinquies, correpta bis (apud Tibullum), casus obliqui vocis ager et eius derivata leguntur vicies semel syllaba ancipiti producta, sexies correpta; casus obliqui vocis sacer cum derivatis ponuntur tricies quater producta, decies quater correpta syllaba ancipiti; derivata vocis pater quater producta, quater correpta, vocis uterque ter producta, terdecies correpta syllaba leguntur; quadrigae inveniuntur bis correpta, semel producta ancipiti.

4. Semper productas legimus vocales ancipites in vocibus fibra (ter), colubra (semel), ebrius (ter) libri (sexies), lugubris, scabrum, salebra, probrum, librare, quadratum, migrare (singulis locis), in casibus obliquis vocum ruber (quater), piger (bis), puter (sexies); deinde in peregrinus, mucro, apricus (singulis locis), tigris (bis), flagrare (quater), lucrum (quater), macra (semel) supra cum derivatis (octies), stuprum (ter), latrare (bis), vitrum (semel), denique in casibus obliquis vocis acer (bis.).

5. Voces semel tantum apud poetas et quidem correpta syllaba ancipiti repertas has proferam: triplex, meretrix, latebrae, quadrupes.

6. In duobus vocabulis syllaba anceps singulis locis a Propertio pro brevi positast, ubi ceteri illam produxerunt, quae sunt labrum, nigri.

7. Ut iam brevi indice comprehendamus, quomodo singuli poetae vocalibus ancipitibus usi sint, omissis vocibus, quas n. 1 attulimus, haec notanda duxi.

I. Tibullus posuit vocales ancipites utens illis pro productis ante mediam cum liquida vicies semel, ante tenuem cum liquida undecies; Lygdamus ante mediam cum liquida octies, ante tenuem cum liquida quater; laudator Messallae ante mediam cum liquida semel, ante tenuem cum liquida bis; Propertius ante mediam cum liquida quinquagies ter, ante tenuem cum liquida sexagies semel.

II. Pro brevi admiserunt syllabam ancipitem ante mediam cum liquida Tibullus decies ter, Lygdamus quater, laudator Messallae bis, Sulpicia semel, Propertius novies; ante tenuem cum liquida Tibullus decies quater, Lygdamus nullibi, laudator Messallae quater, Propertius tricies quinquies. Sed in brevibus quas enumeravi vocibus multae inveniuntur, quas iam n. 2 in medium protulimus. Si vero omnes has omittimus, ut omnia componam, vocalibus ancipitibus[1]) pro

---

1) Quamquam etiam vocales in vocibus sub n. 2 enumeratis ancipites sunt, tamen usu poetarum pro brevibus tantum adhibebantur, ita ut ex effectu huius usus ex ordine vocalium ancipitum excludi possint.

brevibus usi sunt Tibullus vicies, Lygdamus semel, laudator Messallae bis, Propertius vicies septies.

Lygdamus igitur, ut Sulpiciam omittam, ceteris accuratior et firmior fuisse videtur; a quo propius abest, si operis volumen inspicimus, Propertius; post quos laudator Messallae, denique vero Tibullus nominandus relinquitur.

Caput secundum.

De elisionibus seu synaloephis.

§. 1.

De numero synaloepharum.

Inter poetas Latinos, qui ut elegantes facilesque versus conscriberent, summo opere nimium synaloepharum numerum evitare studuerunt, praesertim illi, qui ad delectandum potius quam ad inridendum vel flagellandum carmina composuerunt, tam in melicis quam in elegiacis carminibus ita versati sunt, ut quo limatius versus componerent, eo accuratius duras praesertim synaloephas devitarent. Sed quia linguae Latinae natura est, ut non solum hiatus, qui vocatur, evitandus sit, sed etiam coniunctio verborum et sententiarum ubique ante oculos ponatur, fieri non potest, quin interdum vel in optimis elegiacorum poetarum carminibus synaloephas positas inveniamus. Sed ut iam ad libros de quibus sermost nobis, descendamus, inter Propertium praesertim et Tibullum diversa ratio in adhibendis synaloephis inveniri videtur; saepius enim et durius apud Propertium voces per synaloepham coniunguntur quam apud Tibullum. Nam ut iam exempla promam, optima Tibulli elegia, in qua nullam invenimus synaloepham, comparari quidem potest cum undecima libri primi Properti, in qua una tantum reperitur synaloepha; sed in ceteris elegiis Propertius maiorem numerum posuit, ita ut mirandum non sit, Tibullum maximum synaloepharum numerum, quem ratione versuum in elegia decima tertia libri quarti invenimus — nam pro trinis versibus singulae synaloephae reperiuntur — in illis quae restant vitasse, Propertium vero saepius (sic III, 19) pro binis versibus singulas synaloephas posuisse, in una elegia (IV, 21) eo processisse, ut in tringinta versibus synaloephas viginti et unam admiserit. Melius tamen quomodo poetae inter se varient e numero versuum duas tres quattuor synaloephas continentium iudicari potest. Tibullus enim in nullum versum plures quam duas synaloephas admisit, quas in versibus tredecim in ipsis Tibulli carminibus, apud Lygdamum in versibus duobus, in laude Messallae ter, sed apud Propertium in versibus nonaginta duobus (vel tribus) invenimus. Jam praeter illos versus apud Propertium

leguntur undecim versus tres synaloephas continentes, inter quos unus (III, 30, 45) praeter tres synaloephas duro hiatu displicet; unus denique versus apud Propertium proferri potest quattuor synaloephas continens. Praeterea id quoque notandumst, Tibullum in eandem elegiam unum tantum duarum synaloepharum versum, nusquam duos admisisse, Lygdamum semel in quarta elegia, Propertium saepissime (in triginta elegiis).

§. 2.

De singulis synaloephis.

Inter synaloephas tres ordines constitui possunt, qui omnino diversis modis a poetis adhibebantur, nam vel vocalis brevis coalescit cum sequenti vocali brevi vel acuta vel longa, vel vocalis media, i. e. vox in **m** desinens abicitur ante aliam vocalem, vel vocalis longa cum sequenti coalescit vel denique vocalis e in vocibus e s t et e s post aliam vocalem per aphaeresim abicitur, qui ordo quasi quartus tribus prioribus addi potest. Denique quinto loco pauca de elisione monosyllabarum addere licebit.

A. Elisiones vocalium brevium.

Inter vocales breves praesertim vocalis e et saepissime quidem in voce enclitica q u e, atque in vocibus n e q u e, a t q u e, q u o q u e, n a m q u e quum ante longas tum breves per synaloepham abicitur. Qua in re notandumst, virum doctissimum L. Muellerum in libro de re metrica contendisse Tibullum voce n e q u e nisi uno loco excepto non scripsisse, semper vero admittendam esse formam breviorem n e c etiam I, 1, 71. Tamen in editione postea facta ipse in versu 64 eiusdem elegiae n e q u e scribendum putavit, tradita forma n e c in ceteris editionibus. Nobis quid de hac re censeamus, iam exponendum erit.

Quamvis saepius in carminibus Tibullianis, (duodecies in libro primo, novies in secundo, in Tibulli elegiis libri quarti quater, terdecies apud Lygdamum, septies in laude Messallae, semel apud Sulpiciam) enclitica q u e coalescat cum vocali sequente, semper id tali modo accidit, quo vel vocalis praecedens longa fiat, ut fit in voce n a m q u e, vel usus aliam vocem non admittat, quod in voce a t q u e ante vocales posita evenit. Semper vero, duobis locis exceptis, n e c scriptum legimus propter varias caussas; saepe enim hanc vocem in initio versus poetae posuerunt, ubi nulla modo breviore forma uti potuerunt; sic vicies in libro primo, decies quater in secundo, ter in Tibulli quarti libri elegiis, vicies apud Lygdamum, decies quater in laude Messallae vocem invenimus; saepe in arsi, ut Tibullus in primo libro quinquies, Lygdamus septies, laudator Messallae quater. Raro tamen vocem ante vocales posuerunt, sic Tibullus in primo libro septies, in secundo bis, Lygdamus n u m q u a m, laudator Messallae quater, Sulpicia semel. Videmus igitur Tibullum synaloephas quoad fieri potuit vitasse, minus vero feliciter vitasse quam Lygdamum. Ut iam quid Propertius hac de re sentiat videamus, primum tantummodo librum inspiciamus,

oportet. Breviorem enim formam tricies septies ibi invenimus, longiorem octies, quam semper ante vocales posuit poeta; breviorem vero tricies semel in prima arsi, quater in ceteris arsibus, bis in thesi ante consonas, ubi longiorem eodem iure legere possemus, nisi evidens esset, Propertium hac ante vocales solas usum fuisse. Tibulli igitur artem a Lygdamo perfectius perpolitam in Propertii carminibus neglectam videmus. Sed haec, ut quomodo vel in levissimis rebus, si res est de elisionibus admittendis vel evitandis, poetae diverso modo progressi sint, initio legentium ante oculos ponamus, adponenda statuimus. Vocalem vero brevem e ceteris saepius abici ante alias supra notavimus; tanta enim mollitie e finale fuit ut fere sine ulla caussa abici posset. Quare omittendam enumerationem illarum levissimarum synaloepharum credidi, praesertim quum ars poetarum maxime ex regulis pro durioribus elisionibus servatis demonstrari queat. Paucis vero verbis hae regulae addi possunt. Optimae enim elisiones iudicandae sunt illae quibus vocalis vocis plurium syllabarum finalis ante monosyllabam vocem vel ante vocem ab eadem vocali incipientem abicitur; minus limatae illae, quibus vocalis finalis ante longiorem vocem cum sequenti vocali coalescit. Syllabae tamen, quae voces compositas efficiunt praecipue praepositiones, monosyllabarum vocum locum tenent. Sed iam synaloephas has enumeremus.

a) Elisiones vocalis brevis a.

Apud Tibullum invenimus:

α) in arsi:

Fictilia antiquus	I, 1, 39
agna exigui	I, 1, 22.
vitula innumeros	1, 21.
dicta in	3, 52.
expressa incultis	7, 36.
agricola e	7, 61.
liba ipse	10, 23,
haesura in	10, 14.
tenera irato	10, 64.
Magna intonsis	II, 1, 34.
agricola adsiduo	1, 51.
agricola et	1, 55.
aliqua adsiduae	1, 65.
cithara intonsae	3, 12.
nulla exclusura	3, 73.
facta agresti	5, 28.
prodigia indomitis	5, 80.
Grata adveniet	IV, 6, 19.

ub al.: gratum veniet.

β) in longa thesi:

Liba et	I, 7, 54.

γ) in prima syllaba thesis brevi:

Ipsa ego	IV, 3, 12.
illa aliud	6, 16.

δ) in secunda thesis brevi:

Gaudia adirem	I, 5, 39.
numina amanti	5, 57.
Delia amoris	6, 85,
oscula et	8, 38.

nulla humano	IV, 13, 10.
sola ante	13, 16.

apud Lygdamum:

α) in arsi:

Nemora in	3, 15.
culta et	4, 92.

β) in secunda thesis brevi:

Lilia et	4, 34.
inpia in	5, 14.

in laude Messallae:

α) in arsi:

Nulla incerto	155.
lenta excelsos	171.
fortuna ut	182.

β) in longa thesi:

Fecunda Atlantidos	77.

e quibus minus limatice existimandae sunt: agna exigui, liba ipse, tenera irato, ipsa ego, nulla humano.

Apud Propertium magnum harum synaloepharum numerum invenimus, e quibus primo optimas, deinde minus bonas afferemus.

aa) Elisiones optimae:

α) in arsi:

Avecta externis	I, 2, 20.
vetera oblitis	6, 20.
pulsata indignis	16, 6,
loca et	18, 1.
Nuda erepto	II, 1, 13.
sumpta et	1, 36.
tenera adsidua	1, 68.
siqua Arabio	3, 15.
una es	3, 29.
Romana accumbes	3, 30.
gavisa es	7, 1.
visura et	9, 7.
verba et	9, 31.
Anima ex	III, 1, 11.
pharetra ex	3, 10.
siqua inlustres	4, 10.
spolia haec	6, 24.
servata an	6, 30.
multa adposita	7, 3.
nostra Actiacum	7, 44.
folia arentes	7, 51.
experta in	14, 18.
vita experiare	19, 13.

β) in longa thesi:

Regna aut	I, 14, 24.
fata opponere	17, 11.
fortuna occurrit	20, 3.
dispersa invenerit	21, 9.
perpessa es	I, 22, 7.
Tanta in	II, 6, 4.
Eriphyla invenit	III, 8, 29.
fugienda haec	17, 1.
una aut	19, 3.
	30, 29.
subiecta exurere	IV, 7, 7.
animosa effringere	8, 9.
fabricata e	22, 3.

(ubi aliae lectiones: fabricata iuvenca, fabricata inventa).

saxa et	IV, 22, 38.
Athamana ad	V, 6, 15.
Lethaea ad	7, 91.

γ) in prima thesis brevi:

Placata aderit	I, 14, 23.
Aequa et	II, 4, 6.
Fortuna aliquid	III, 15, 18.

officia in 20, 39.
compressa et 22, 28.
maria alta 22, 32.
forma aeternum 26, 11.
illa et 32, 11.
fata Amphiareae 32, 39.
(ubi alii aliter).
Camera auratas IV, 1, 50.
siqua es 1, 55.
(ubi al. siquast.)
flamma aut 1, 61.
prima infelix 4, 7.
ficta in 4, 45.
spolia ex 6, 14.
iudicia et 8, 32.
spolia et 10, 59.
caussa et 12, 3.
matrona incedit 12, 11.
Paeana Amphion 14, 42.
media et 15, 1.
spatia annorum 21, 31.
stabula et 22, 9.
Ortygia et 22, 15.
natura hic IV, 22, 18.
exclusa inque 25, 15.
Folia ex V, 1, 62.
siqua incerto 3, 5.
Tyria in 3, 34.
illa inmeritae 4, 23.
cava et 6, 50.
mea in 7, 50.
levia ad 8, 50.
officia et 9, 48.
spolia ex 10, 11.
spolia in 10, 45.
defensa et 11, 58.
cura et 11, 74.
nostra ad 11, 83.

multa et 22, 8.
una aget 22, 10.
illa adoperta 25, 11.
Polydamanta et IV, 1, 29.
recta animi 4, 10.
poena Athamantiadae IV, 6, 22.
lympha Aniena 15, 4.
vecta Ariadna 16, 8.

δ) in secunda thesis brevi:

Sidera et I, 1, 23.
Cynthia et 6, 16.
Cynthia amore 12, 2[1]).
Cynthia et 15, 26.
oscula et 20, 28.
Brachia et II, 1, 70.
gloria ad 7, 18.
ianua aperta 9, 42.
Candida et III, 7, 1.
Omnia ab III, 12, 16.
cornua et 12, 20.
caerula ad 25, 6.
tristia ad 32, 6.
Pergama Apollinis IV, 8, 39.
moenia et 10, 32.
noxia Alexandria 10, 33.
Omina et V, 1, 68.
vincula et 5, 72.
annua et 8, 8.

quibus, ne quae praetermisisse videamur, addamus: dea es III, 31, 14. IV, 24, 19. formosa es III, 31, 36.

quamquam hoc loco nullo iure adponuntur, quod iam fusius demonstravit L. Muellerus de re metrica p. 303.

---

1) Alii fortasse melius: Conscia Roma.

bb) Elisiones propter nomina propria libertate maiore fruentes.

α) in arsi:

Rapta Orithyca III, 22, 31.
Fida Euadne IV, 12, 24.
Vesta Iliacae V, 4, 69.
facta Herculeae 9, 49.

β) in prima thesis brevi:

Concha Erycina IV, 12, 6.

γ) in secunda thesis brevi:

Gnosia utroque III, 3, 10.
littora Eoa 28, 20[1]).
Actia Juleae V, 6, 17.

cc) Elisiones ceteris minus limatae:

α) in arsi:

Multa illa I, 12, 3.
sola humanos 16, 25.
Folia hiberno II, 9, 34.
domina ulla' 9, 45.
Siqua extremis III, 1, 17.
tabula una 22, 13.
illa ipsa 25, 11.
Lecta exectis IV, 5, 28.
natura insidians IV, 6, 37.
offensa illa 7, 40.
spolia opprobrii 12, 12.
nostra ingenti 13, 29.
longa intervalla 21, 31.
Galea hirsutis V, 10, 20.

β) in longa thesi:

Musa illis II, 1, 35.
Quanta illum III, 16, 5.
Ossa inter V, 5, 64.

γ) in prima thesis brevi:

Illa etiam I, 14, 18.
Quanta ego III, 6, 9.
magna ego 6, 25.
sola eris III, 12, 7.
stella homini 23, 4.
tota erat 29, 3.
Poena erit IV, 5, 32.
ista ego 10, 7.
Longa erat V, 1, 36.
(ubi al. longe erat).
signa iterata V, 1, 82.
formosa oculis 4, 32.
illa oculis 8, 55.

δ) in secunda thesis brevi:

Sidera erunt III, 22, 35. Carmina erunt IV, 1, 56.

Diversa igitur poetarum ratio in servandis regulis iterum his exemplis firmatur. Lygdamus enim et laudator Messallae optimas formas, quas solas admiserunt, etiam in thesi adhibere non dubitarunt, Tibullus vero formas minus limatas, si illud ipsa ego excipias, quod melius ipsa 'go legendum est, in thesim admittere noluit, denique Propertius saepius elisionibus usus formas tum optimas quum minus bonas et in arsi et in longa et in brevi thesi adhibere conatus est. Jam ad secundum ordinem procedamus.

---

1) Alii littora nota, littora nuda.

b) Elisiones vocalis brevis i.

Tibullus praebet perpauca exempla:

α) in arsi:		β) in secunda thesis brevi:	
Ubi indomitis	II, 4, 57.	Tibi at	I, 6, 27.
ubi orbem	4, 17.	nisi et	9, 39.

laudator Messallae scripsit:

Tibi adversis 148 in arsi;

Lygdamus omnino has elisiones vitavit.

Ex formis iam adpositis ubi orbem minus limata restat.

Apud Propertium haec invenimus exempla:

aa) Optima:

α) in arsi:		β) in secunda thesis brevi:	
Tibi insolitos	I, 3, 29.	Tibi ad	III, 13, 17.
tibi excepi	III, 21, 10.	tibi ab	19, 10.
ubi adverso	IV, 14, 32.	tibi Jasonia	19, 29.
(ubi al.: et adverso vel in adversos.)		tibi ob	21, 15.
Tibi exciderunt	V, 7, 15.	Tibi ad	IV, 8, 27; 22, 41.
sibi admotas	8, 11.		
ubi erasas	8, 26.		
ubi emeritum	11, 72.		

bb) Minus bona in nomine proprio:

Ubi Elysias V, 7, 60 in arsi.

cc) Minus limata:

α) in arsi:		β) in secunda thesis brevi:	
Ubi agrestes	III, 12, 14.	Nisi amoris	II, 8, 3.
Ubi amplexu	V, 5, 53.	Mihi uterque	III, 13, 16.
		tibi erit	19, 9.
		Tibi amica	IV, 7, 40.

Quantum e paucis, quae proferi possunt exemplis videri potest, Tibullus rigidiores severioresque regulas quam Propertius secutus esse videtur, quia ille semel tantum formam minus bonam in arsim admisit, Propertius vero formas inter se mixtas ubique posuit. De Lygdamo iudicium proferri nequit, nisi dicamus, illum ne optimas quidem formas admittere voluisse.

c) Elisiones vocalis brevis o.

Tibullus tantum duo praebet exempla:

Modo in II, 5, 106, et minus bonam ego ante IV, 5, 5, utramque formam in arsi.

Lygdamus, laudator Messallae, Sulpicia his formis abstinuerunt.

Apud Propertium legimus:

aa) Formas optimas:

α) in arsi:		β) in secunda thesis brevi:	
Ego et	I, 8, 31.	Ego et	III, 13, 11.
	III, 11, 12.	ego in	II, 8, 5.
	V, 2, 3.		III, 12, 31.
ego ingredior	IV, 1, 3.	duo in	IV, 10, 23.
ego adiciam	V, 2, 41.	ego odorati	V, 5, 61.

bb) Minus bonas:

Modo Avernalis V, 1, 49 in secunda brevi thesis, ego heroas IV, 10, 27 in arsi.

Ex omnibus eodem modo ut prius iudicandumst, Propertium prae ceteris liberum se gessisse in admittendis synaloephis, Lygdamum prae ceteris excellere. Attamen pauca, quae Tibullus praeter regularum ordinem admisit, excusatione digna invenientur, ut postea in capite de duarum synaloepharum versibus demonstrabimus. Sed de his iam satis dictum.

B. Elisiones vocalium mediarum seu vocum in m desinentium.

Syllabae in m exeuntes, quamquam non eodem modo et iure ac syllabae in vocalem exeuntes ultimam vocalem abicere possunt, quia semivocalis quae vocatur m medium locum tenet, tamen, si eligias de quibus tractamus inspiciamus, non minus saepe, quam syllabae in a exeuntes per modum synaloephae cum sequenti vocali coalescunt. Nam si numerum tantum synaloepharum huius ordinis inspicimus, invenimus viginti octo apud Tibullum, apud Lygdamum sex, octo in laude Messallae, unam apud Sulpiciam, ducentas triginta quattuor apud Propertium. Ut tamen elisio inter optimas numeretur, sequens vox brevis sit opertet, ita ut optimus quisque longiores voces post elisiones tales evitare studuerit. Ut in genere hoc quoque moneamus, nulla vocis mediae elisio inveniri potest admissa in secunda thesis brevi, in ceteris formis elisiones frequenter reperiuntur.

Tibullus has habet formas:

α) in arsi:		β) in longa thesi:	
Venerem e	I, 2, 40.	Tandem ad	II, 5, 46.
offensum in	3, 20.	rediturum ad	6, 13.
venturam admittat	4, 44.	Tecum interposita	I, 9, 56.
eram et	5, 1.		

forum et I, 5, 5.
referam ut 7, 17.
cinerem et 9, 12.
poteram ad 9, 46.
Servitium et II, 1, 42.
curam exhibiturae 1, 61.
mallem in 4, 8.
caedem et 4, 21.
Spectatum e IV, 2, 2.
servitium et 54.
Libatum agricolam I, 1, 14.
desertum oblita 1, 32.
tergebam umentes 9, 38.
etiam attonita 9, 47.
regnum iste II, 3, 59.
postquam ille 5, 19.
iterum erronem 6, 6.
Quidem ornandi IV, 6, 6.

γ) in prima thesis brevi:

Possim ego I, 6, 70.
ipsum etiam II, 5, 75.

Apud Lygdamum sex sequentes formas habemus:

α) in arsi:

Niveum involvat 1, 9.
tecum ut 3, 7.
natum in 4, 9.
quondam Admeti 4, 67.
primum annoso 2, 19.

β) in longa thesi:

Prodirem e 3, 3.

In laude Messallae legimus:

α) in arsi:

Densam in 156.
etiam Alcides 12.
pronum Aetnaeae 196.
quamquam antiquae 28.
etiam obscuras 64.
celerem angusto 91.

β) in longa thesi:

Illum inter 70.

γ) in prima thesis brevi:

Quadratum acies 101.

Apud Sulpiciam unam formam habemus: Cedam ignoto IV, 10, 6 in arsi.

Sed iam Properti seriem producturi singulorum librorum exempla proferemus.

In primo libro habemus:

α) in arsi:

Etiam Hylaei I, 1, 13.
quiquam ex 4, 28.

β) in longa thesi:

Correptum ardore I, 3, 13.
circum omnes 4, 21.

animam extremae I, 6, 26.
tantum ingenio 7, 7.
utinam hibernae 8, 9.
crudelem infesta 8, 16.
quiddam in 10, 14.
possum alterius 10, 17.
fletum invitis 15, 40.
possum infamis 16, 9.
etiam absenti 17, 5.
meum extremo 17, 23.
circum inriguo 20, 37.

primum errata I, 9, 33.
heroum infringere 14, 17.
tandem haurire 20, 43.

γ) in prima thesis brevi:

Tantum in I, 1, 16.
nondum etiam 3, 11.
necdum etiam 9, 17.
possum ego 10, 15.
possum aperire 10, 16.
possum Hypanis 12, 4.
labentem Athamantidos 20, 19.

In secundo libro:

α) in arsi:

Totum e II, 1, 10.
possem heroas 1, 18.
impositam ut 1, 20.
Mutinam aut 1, 27.
canerem Aegyptum 1, 31.
(al.: canerem Cyptum vel canere inciperem.)
Aegyptum et 1, 31.
regum auratis 1, 33.
totam ex 1, 50.
idem ille 1, 67.
eram et 2, 1.
quantum Aetolio 3, 19.
Helenam haec 3, 32.
dominam exemplo 3, 42.
illam Hesperiis 3, 43.
saltem ut 4, 1.
etiam instanti 5, 20.
olim ut 6, 15.
puellarum ingenuos 6, 29.
quondam edicta 7, 2.
etiam abrepta 8, 29.
porrectum et 8, 34.
idem Haemoniis 8, 38.
exanimem amplexus 9, 9.
quoniam ista 9, 37.

β) in longa thesi:

Fulgentem incedere II, 1, 9.
nobiscum humana 3, 31.
illam ostendet 3, 43.
fortem idem 8, 38.
illum exspectando 9, 8.

γ) in prima thesis brevi:

Verum etiam II, 5, 20.
scribam igitur 5, 27.
possum ego 8, 5.
mortem ego 9, 52.

Exempla e libro tertio:

α) in arsi:

Campum Emathio III, 1, 2.
Parthorum et 1, 14.

β) in longa thesi:

Necdum inclinatae III, 7, 21.
illum ad 10, 11.

etenim(etiam) Ascraeos	III, 1, 25.
secum uno	2, 3.
quisquam ex	3, 12.
possim Ismaria	4, 6.
venantem Idalio	5, 38.
utinam haerentes	7, 25.
fiam immortalis	7, 39.
circum oppugnata	7, 45.
felicem invidia	9, 11.
desertum Eoa	10, 8.
invitum et	10, 14.
iuvenem odisti	10, 19.
etiam infectos	11, 1.
eram hoc	13, 26.
uxorem ille	14, 4.
quisquam alterius	17, 3.
custodum et	17, 14.
totam infamis	18, 7.
mecum ingenio	19, 7.
utinam in	19, 13.
quisquam in	20, 23.
quondam Argira	20, 43.
Danaum Euboico	22, 18.
crudelem et	22, 31.
vobiscum Europe	26, 6.
aeternum aut	26, 11.
quoniam es	26, 13.
etiam excubias	26, 15.
illorum antiquis	28, 15.
quisquam in	30, 41.
eadem ante	30, 45.
quoniam agrestem	31, 13.
miserum ut	31, 35.
dominam admitto	32, 16.
etiam ut	32, 35.

tantum illi	III, 14, 2.
nunquam ad	15, 20.
Phoenicum inventa	23, 3.
stuprorum examine	30, 41.

γ) in prima thesis brevi:

Nondum etenim	III, 1, 25.
(fere ubique melius etiam legi docent edd.)	
possum inimicitias	4, 16.
mecum habuit	6, 22.
horum ego	9, 3.
credam ego	11, 15.
possum ego	13, 28.
quicquam aliud	14, 9.
nullum onus	19, 24.
essem ego	20, 36.
multum in	22, 7.
scribam ego	25, 10.
quorum alii	27, 5.

In quarto libro inveniuntur exempla:

α) in arsi:

Mecum in	IV, 1, 11.
finem imperii	1, 16.
annorum aut	1, 62.
Cannensem et	2, 10.
Musarum et	2, 29.
solitum armigeri	3, 8.

β) in longa thesi:

Alienum ad	IV, 2, 47.
stridorem audire	6, 47.
Coeum et	8, 48.
talorum interprete	9, 27.
raptem in	10, 27.
latrantem opponere	10, 41.

incipiam et	IV, 3, 16.
deum et	4, 39.
eam incomptis	5, 9.
Carpathium omne	6, 12.
saltem Italiae	6, 63.
centum aequoreae	6, 67.
miseram in	7, 16.
tecum aut	7, 33.
pressum inflexo	8, 6.
pacem hic	8, 19.
Parthorum astutae	8, 54,
quondam oppugnare	10, 13.
longum Augusto	10, 50.
quidem interea	11, 9.
decem annorum } annorum et	11, 25.
thalamum Aeaeae	11, 31.
enim Ilia	12, 61.
digitum angusta	13, 30.
illam inmundis	14, 17.
Zethum et	14, 29.
solam et	14, 46.
faciem obductis	15, 5.
timeam audaces	15, 6.
vitium ex	16, 6.
olim ignaros	17, 29.
portum et	18, 7.
enim adsidue	21, 3.
animum emendare	21, 25.
incipiam aut	21, 26.
annorum aut	21, 31.
coelum omne	22, 7.
cuiquam absentes	22, 31.
miserum his	23, 19.
dominum Esquilii	23, 24.

septem urbs	IV, 10, 57.
animarum intrasse	11, 33.
nupturam hic	12, 23.
aurum omnes	12, 48.
nequiquam in	16, 23.
Croesum aut	27, 28.
luctantum in	22, 9.
fletum iniuria	25, 7.

γ) in prima thesis brevi:

Caelum imitata	IV, 1, 58.
tantum operis	2, 4.
mecum habuisse	7, 22.
primum oculos	9, 15.
tantum operis	10, 70.
norim in	14, 1.
mortem habitura	14, 40.
dicam ego	16, 21.
magnum iter	21, 1.
unum erit	21, 9.
quantum oculis	21, 10.
scandam ego	21, 24.
totum iter	22, 12.
olim oculis	24, 2.

In quinto libro invenimus exempla:

α) in arsi:

Phrygem Aenean	V, 1, 2.
longaevum ad	1, 52.
canam et	1, 69.
votum inpetrabile	1, 101.
(ubi al.: vot. facile inpetrabile.)	

β) in longa thesi:

Centum illi	V, 1, 14.
unam inpetrassem	7, 24.
demum ad	8, 71.
Caecinum Acronta	10, 7.

remorum auditos	V,	2, 8.
postquam ille		2, 9.
falcem et		2, 25.
quondam et		2, 27.
etiam aurigae		2, 35.
pastorem ad		2, 39.
hortorum in		2, 42.
castrorum et		4, 31.
utinam ad		4, 33.
mirum in		4, 39.
comicum inmeritas		5, 16.
meritum ante		5, 66.
animam in } putrem expirare		5, 69.
serpentem inbelles		6, 36.
Cephaeam hic		6, 78.
quisquam inclamavit		7, 23.
magnum ausas		7, 67.
nunquam Hercules		7, 82.
Lanuvium annosi		8, 3.
spectaclum ipsa		8, 21.
locum externae		8, 83.
nunquam ad		9, 40.
agedum et		9, 54.
postquam exhausto		9, 63.
Nomentum et		10, 26.
Eumenidum intento		11, 22.

γ) in prima thesis brevi:

Rerum erat	V,	1, 30.
idem ego		1, 99.
idem Agamemnoniae		1, 111.
unum opus		2, 64.
quantum ego		4, 43.
culpam alit		4, 70.
tandem acies		6, 25.
Pelopeum Agamemnona		6, 33.
eosdem habuit		7, 7.
eosdem oculos		7, 8.
dotem habitura		7, 48.
mecum eris		7, 94.
tecum ego		8, 70.
idem ego		9, 47.
magnum iter		10, 3.
idem eques		10, 19.

Elisionibus hoc modo adpositis evidens est, Propertium, quamquam ceteris saepius vocales medias abiecerit, in libris posterioribus severiorem quam in prioribus fuisse, quia qui in libro primo saepius ante voces longiores elisionem posuit, in secundo libro fere aequali numero ante voces longiores et ante monosyllabas, in ultimo saepius ante monosyllabas vocales medias elisas admisit.

Denique ut fines vocum elisos inter se conferamus, finem **um** prae ceteris saepissime abici notandumst. Nam apud Propertium invenitur abiectum centies duodevicies, duodecies apud Tibullum, quater in Lygdami elegiis, ter in laude Messallae; ceteras vero elisiones ita legimus, ut saepius **am** quam **em**, rarissime **im** abiectum inveniamus; novies enim tantum apud Propertium, semel apud Tibullum, nusquam in Lygdami elegiis, nusquam in laude Messallae hanc ultimam elisionem reperimus. Fines verborum, ut hoc etiam moneam, in **um**, **am**, **em** desinentium rarius eliduntur, quam nominum; saepius tamen finis **im** in verbis, nam in elegiis accusandi casus in **im** desinens nusquam invenitur elisus. Sed his iam finem inponamus.

C. De elisione vocalis e in est.

Quamquam vox e s t etiam in prosaica oratione ita cum praecedenti vocabulo coaluit, ut una tantum vox effici videretur, tamen exstiterunt regulae quaedam, quae nisi poetarum licentia violari non potuerunt, quarum prima, qua definitur, vocem est tantum in locis, ubi copulae vel verbalis locum tenet, priori vocabulo adnecti posse, secundam ad se trahit, qua monemur, hanc vocem tantum cum illis formis in prosaica oratione coniungi posse, ad quas natura ipsa pertineat. Tales vero formae sunt fines **us, a, um,** e quibus tamen prima, quamquam apud scriptores antiquos fabularum invenitur, postea oblivione seu studio limatius scribendi neglecta et reiecta esse videtur. Praeter has formas, quibuscum solis apud oratores vox e s t coniungi potest, apud poetas illis vocibus adhaeret, quae in **e** vel **ae** desinunt, quibus propter similitudinem quandam cum fine u m etiam finis **am** adnumerari potest. Fines vero vocum in **i, o, u** desinentium cum voce e s t coalescentes inter pejores formas referri debent. Tamen pro natura huius vocis hae coniunctiones pro unoquoque ordine saepe leguntur, sic quinquagies quinquies apud Tibullum, apud Lygdamum septies, quinquies in laude Messallae, bis apud Sulpiciam, apud Propertium centies tricies semel. Jam singulos ordines pro singulis poetis cum exemplis quae afferri possunt ante oculos legentium ponemus. Formae, in quibus e s t in ultima pentametri arsi cum praecedenti voce coniunctumst, per signum (†) notatae apparent.

a) **Est** coniunctum cum formis in **a** vel **um** desinentibus.

Tibullus has praebet formas:

α) in arsi:

Quantumst	I,	1, 51.	Primumst	II,	1, 53.
positast		2, 5.	admiratast		3, 24.
audendumst		2, 16.	tuast		3, 27.
pollicitast		2, 42.	meast		3, 77.
† viast (al.: viae)		3, 50.	festast		5, 36.
† comast		4, 4.	(ubi a longum notandum).		
aeternast	I,	4, 37.	sanctast	II,	6, 31.
purpureast		4, 63.	† tubast		6, 10.
suast		4, 77.	dignast		6, 43.
plenast		5, 68.	† bonast		6, 44.
mecumst		6, 3.	Sulpiciast	IV,	2, 1.
curast		8, 45.	dignast		2, 15.
oppositast	I,	8, 76.	tuast		4, 17.
aequumst		9, 5.	iunctast		13, 2.
† viast		10, 4.	formosast		13, 4.
vitiumst		10, 7.	invidiast		13, 7.

β) in thesi:

Vectast	I, 5, 46.	curast	I, 9, 51.
magnast	6, 3.	Detextast	II, 3, 15.
durumst	6, 7.	puellast	3, 31.
causast	8, 51.	umbrast	4, 11.

Apud Lygdamum legimus:

α) in arsi:		β) in thesi:	
Dignast	1, 8.	Curast	1, 19.
invidiast	3, 20.	siquast	6, 25.

In laude Messallae invenimus formas:

α) in arsi:

Compertumst 119. mediast 158. positast 165. tuumst 197.

β) in thesi:

contentast 29.

Apud Sulpiciam habemus in thesi: Gratumst IV, 10, 1.

Propertius praebet formas:

α) in arsi:

† Meast	I, 8, 24. 26. 42. 44.	notast	III, 19, 29.
† tuast	9, 26.	† viast	20, 46.
passast	13, 27.	culpast	24, 5.
ultast	15, 19.	† deast	24, 10.
† perfidiast	15, 34.	vobiscumst	26, 5.
Comast	II, 2, 5.	visast	27, 6.
† viast	4, 20.	nullast	28, 1.
verumst	5, 1.	Semelâst	28, 29.
† meast	8, 6.	consumptast	30, 30.
† rotast	8, 8.	† domumst	30, 32.
† Meast	III, 1, 8.	nondumst	31, 26
iocundumst	3, 17.	† meast	32, 2.
(al.: iocundum.)		† virumst	32, 8.
† tuast	3, 22.	causast	32, 21.
magnast	5, 9.	Provisumst	IV, 1, 38.
mecumst	7, 5.	mactatast	6, 24.
iterumst	10, 12.	† parumst	6, 34.
† bonast	11, 10.	ventorumst	6, 35.
† parumst	15, 36.	positast	6, 25.
† aquast	17, 2.	(al.: legunt positaque.)	
nondumst	19, 3.	nullast	7, 35.

datast	IV, 7, 39.	visast	IV, 23, 13.
† morast	8, 36.	Vectast	V, 1, 40.
† viast	12, 4.	veritast	1, 44.
nullast	12, 13.	viast	1, 107.
siquast	12, 14.	meast	2, 21.
iactast	12, 17.	datast	3, 16.
expertast	12, 66.	viast	4, 49.
ullast	13, 23.	tuast	6, 39.
angustast	13, 30.	visast	7, 3.
(ubi a longum legitur.)		† meast	7, 42,
passast	14, 17.	geminast	7, 55.
expertast	14, 30.	positast	10, 28.
† viast	15, 18; 17, 22.	dictast	10, 48.
scandendast	17, 24.	mutatast	11, 45.
visendast	22, 15.	detractumst	11, 95.
		peroratast	11, 99.

β) in thesi:

Famast	I, 7, 9.	sevectast	IV, 2, 21.
divisast	12, 3.	promissast	5, 19.
Pereundumst	II, 1, 53.	nullast	12, 13.
praedatast	1, 55.	falsast	24, 1.
ventumst	6, 15.	Romast	V, 1, 1.
captivast	8, 37.	demissast	1, 131.
Figurast	III, 11, 3.	famast	2, 41.
ullast	13, 25.	causatast	4, 23.
durast	19, 31.	commissast	7, 19.
fugatast (vagatast)	24, 19.	inspectast	7, 39.
damnatast	30, 27.	avectast	8, 15.
relictast	32, 55.	devotast	9, 67.
confessast	32, 89.	totast	11, 45.
Sperandast	IV, 2, 17.		

Quamquam magnum exemplorum numerum e Properti carminibus attulimus, pauciores tamen, quam quas in ceteris ordinibus invenimus, elisiones afferi possunt, ita ut Propertium et Tibullum fere aequales, ipsos tamen Lygdamo inferiores declarare debeamus.

b) **Est coniunctum cum formis in e, ae, am desinentibus.**

Apud Tibullum legimus in arsi:

Formaest	I, 8, 43.	Illest	II, 3, 31.
asperaquest	9, 20.	curaest	3, 43.

Lygdamus habet in arsi formas:

Utcumquest	4, 11.	Difficilest	6, 33. 34.

Propertius utitur formis in arsi:

Tuaest	I, 2, 7.	saepest	III, 15, 23.
Sivest	II, 1, 15.	cuiquamst	26, 11.
† levest	5, 16.	certest	30, 46.
facilest	9, 31.	† Marest	IV, 6, 12.
Juvenest	III, 14, 13.	nusquamst	12, 58.
umquamst	15, 22.	Quoniamst	V, 7, 46.
		quaedamst	8, 29.

et in thesi:

Quicumquest	I, 8, 3.	Illest	III, 28, 11.
carinamst	17, 3.	turpest	IV, 8, 5.

In hoc ordine Propertius Tibullo negligentius versatus esse videtur, quin etiam in thesi formis minus bonis usus est.

c) Est coniunctum cum formis in **i, o, u** desinentibus.

Apud Tibullum legimus in arsi:

Exiguist	I, 1, 22.	Securost	II, 1, 46.
Eleost	4, 32.	mihist	6, 49.
mihist	8, 57,	malist	IV, 4, 7.
motust	6, 45.	† tibist	4, 16; 6, 3.

et in thesi:

Victost	I, 8, 49;	Lavinist	II, 5, 49.

Apud Sulpiciam sunt qui legant dolorist IV, 10, 5, ubi alii doloris.

Propertius habet in arsi:

† Marist	IV, 2, 24.	† solost	IV, 6, 40.
tibist	6, 18.	† deost	6, 62.
† mihist	24, 16.	Lysippost	8, 9.
Nemost	III, 32, 3.	Nostrost	V, 1, 58.
† Solost	IV, 2, 26.		

et in thesi:

Triumphost	III, 6, 1.	Usust	V, 7, 75.

In quattuor locis, ubi est in thesi positum invenimus, ultimam thesim selectam videmus, ut forma male adhibita quasi obtegatur. In his vero formis admittendis Propertium severiorem fuisse quam Tibullum nemo est quin videat.

d) **Est** coniunctum cum monosyllabis.

Tibullus habet formam mest I, 7, 9 in arsi positam; Propertius test IV, 8, 59 in ultima thesi et cumst V, 2, 29 in arsi.

Quanto opere Lygdamus, si omnes ordines inspicimus, ceteris severior accuratiorque fuerit, ex eo concludere possumus, quod formas nisi optimas, easque paucas, nullas admiserit.

Appendix. Quum propter caussas, quas L. Muellerus d. r. m. p. 303 uberius exposuit, voces inveniuntur, quibus forma verbalis es eodem modo adpendendast ac vox est, inter quas l. l. dolori's III, 31, 21 (pro qua in editione dolore's scripsit) recenset, has breviter adiungamus. Sunt vero sequentes apud Propertium:

Dea's III, 31, 14; IV, 24, 19; formosa's III, 31, 36. quoniam's IV, 23, 12. qualiscumque's I, 18, 31. dolore's III, 31, 211; — nullam enim rationem invenire possumus, cur poeta gavisa's II, 7, 1, vel sermo's III, 14, 7 scripserit.

D) De elisione monosyllabarum.

Inter elisiones, quas poetae summo studio vitare conati sunt, elisiones vocum monsyllabarum et vocalium longarum primum locum tenent, quare mirandum non est, in carminibus elegiacis rarissime exempla inveniri. Optimae inter has elisiones illae considerari possunt, in quibus formae pronominis me, te, se, qui, et coniunctionis, si cum sequentibus vocalibus coalescant, quamquam etiam formae in um desinentes cum, dum, tum, sum inter meliores recenseri possunt.

Ceteras autem formas, quas apud Propertium invenimus, inter minus usitatas referri debemus.

Apud Tibullum novem exstant exempla:

α) in arsi:		β) in longa thesi:	
Se in	I, 2, 56.	Me uno	I, 2, 58.
se inplicuisse	4, 56.	me adfixa	6, 61.
te adducit	6, 59.	Se exercuit	II, 1, 69.
Cum adspicerem	II, 3, 5.	Me audacius	IV, 13, 19.
		Qui abducis	II, 3, 61.

Laudator Messallae tres praebet formas in thesi longa:

Si interrupto 75. se accingere 179. me adversa 182.

Propertius his utitur formis:

a) me, te, se, si, qui.

α) in arsi:		β) in longa thesi:	
Si altera	III, 6, 10.	Si es	III, 16, 1.
me ulterius	7, 19.	me iniuria	19, 23.
me invito	12, 1.	se odisse	22, 5.
me et	13, 22.	Te inmaturum	IV, 6, 2.
me una	13, 27.	Te Eoa	V, 5, 21.
te ille	14, 7.	me ignoscere	8, 73.
se invito	14, 8.		

si exiles	III, 15, 21.
me ista	18, 15.
se in	19, 15.
qui officia	20, 39.
te in	21, 1.
te Herculeum	30, 5.
(al.: te in Herculeum.)	
Te et	IV, 16, 19.
qui aestivos	20, 3.
me in	24, 19.
Qui ad	V, 2, 57.

γ) in prima thesis brevi:

Te alii	III, 2, 1.
te ego	13, 11.
me ab	20, 9.

b) Aliae vocales irregulares:

α) in arsi:

Mi iniecto	III, 27, 21.
Qua Ortygia	IV, 22, 15.

β) in prima thesis brevi:

Tu etiam	III, 10, 19.

c) cum, dum, tum, sum:

α) in arsi:

Cum antiquae	II, 3, 21.
Sum Ausoniis	V, 4, 43.
cum insidiis	7, 36.
sum Alciden	9, 38.

γ) in prima thesis brevi:

Sum ego	I, 12, 11.
Tum ego	III, 21, 9.

β) in longa thesi:

Sum: ignosce	II, 6, 13.
Cum adspexit	III, 6, 5.
cum in	9, 18.
cum amplexa	10, 11.
cum e	15, 29.
Dum ultra	V, 10, 25.

d) Ceterae voces minus usitatae:

α) in arsi:

Tam ardoris	III, 24, 5.
iam angusto	32, 43.
Sim Inachio	III, 4, 8.

β) in longa thesi:

Jam umore	III, 21, 4.
iam ad	27, 20.

γ) in prima thesis brevi:

Jam abiere	III, 8, 33.

Lygdamum igitur, qui nullas omnino formas monosyllabarum elisas admisit, ceteris multo praestare, Tibullum vero maiore cum studio regulas metricas servasse quam Propertium, ex exemplis allatis liquet. Ultimae vero elisiones tanto opere a bonis absunt, ut ad poesim satiricam poeta referre videatur.

Sed ad hunc locum exempla, quibus est coniunctumst cum monosyllabis, non pertinere satis e prius dictis elucet, quam ob rem inmerito Schultzius l. c. Heinrichium adversus Jacobsium defendit; nam in coniunctione verborum si est vocalis i remanet, e vero abicitur. Sed a proposito aberramus. Videamus igitur.

E. De elisionibus vocalium longarum.

Eaedem regulae, quas iam supra de elisione vocalis brevis proposuimus, hic admittendae videntur, nempe vocalem bene elidi ante monosyllabas vel ante vocalem eiusdem generis, rarius tamen et peius ante voces plurium syllabarum. Qua in re notandumst, voces disyllabas, quarum ultima syllaba per elisionem abicitur, pro monosyllabis haberi, voces ego, etiam, ante, saepius admitti post vocales elisas, monosyllabas cum aliis vocibus compositas monosyllabarum locum tenere. Tales elisiones langas Tibullus praebet novem, Lygdamus quattuor, laudator Messallae unam, Propertius septuaginta quinque.

Tibulli exempla haec sunt:

α) in arsi:

Opera insuetas	I, 4, 48.
Memini et	I, 3, 26.
cupidi ad	II, 5, 54.
Multo innumeram	II, 3, 42.
(al.: multă innumeră.)	
Concelebra et	I, 7, 50.
Carnuti et	I, 7, 12.
parvo advigilare	II, 5, 93.

β) in prima thesis brevi:

Vidi ego	I, 2, 89.
illi etiam	II, 1, 41.

Lygdamus posuit vocales elisas in arsi:

Frustra inmeritum	4, 14.
Aeriae et	6, 28.
Longe ante	4, 93.
praefatae ante	2, 15.

Laudator Messallae elisit vocalem longam in prima thesis brevi:

Quando onus	43.

Propertius has praebet formas elisas:

a) vocalis a:

α) in arsi:

Invidia admirante	III, 9, 11.
supposita excipiens	30, 40.
contra angusto	II, 1, 45.
sua in	IV, 1, 44.
iuxta et	V, 11, 21.
(ubi al.: iuxta Minoida.)	

β) in longa thesi:

Illa aetate	V, 1, 127.

b) vocalis e:

Thebe et III, 26, 8. (ubi al.: Phoebi et.) Omphale in IV, 10, 17. facie et V, 4, 21. cave inflectas V, 8, 77. ubique in arsi positas.

c) vocalis i:

α) in arsi:

Vidi ad	II,	1,	7.
Remi aut		1,	23.
Equi et	IV,	3,	17.
consimili inpositum	IV,	5,	39.
coniugii obscaeni		10,	31.
(ubi al.: coniugis obscaeni.)			
Pyrrhi ad	IV,	10,	60.
vidisti a		19,	2.
Illi in	V,	1,	14.
quali adspexit		6,	33.
Lanuvii ad		8,	48.
respondi et		8,	88.

β) in longa thesi:

Tanti ad	II,	3,	35.
docuisti inpune		6,	21.
Custodi excludor	III,	27,	41.
(ubi al.: custode recludor.)			
Silvestri ex	IV,	8,	51.

γ) in prima thesis brevi:

Vidi ego	I,	13,	14, 15.
	V,	2,	53.
		5,	61, 67.
Odi ego	IV,	7,	27.
dixi ego	V,	1,	89.
sensi ego		7,	36.
respondi ego		8,	81.

d) vocalis o:

β) in arsi:

Quaeso et	I,	9,	13.
servato ut		21,	5.
.Ipso eiecto	II,	9,	2.
Merito hamatis	III,	3,	9.
pono ante		6,	27.
suo et		7,	8.
vario amplexu		7,	9.
nemo esset		8,	19.
decimo admittor		9,	12.
Callisto Arcadios		24,	23.
nemo obiciat		28,	25.
Iurabo et	IV,	5,	40.
inmorso aequales		7,	21.
volo aut		7,	23.
flebo in		8,	37.
vago Aesopi		14,	27.
distulero haec		17,	7.
adeo ut		15,	14.
ero in		19,	10.
Virgo officiis	V,	4,	92.

β) in longa thesi:

Sermo es	III,	14,	7.
quaerendo audita	III,	16,	7.
nemo exstat		28,	31.
Aperto in	V,	3,	49.

γ) in prima thesis brevi:

αα) in verbis:

Credo ego	III,	19,	25, 26.
Flebo ego	IV,	25,	7.
Iuro ego	V,	7,	51.
celo ego		7,	70.

ββ) in nominibus:

Nemo in	III,	6,	18.
Ino etiam		24,	19.
Baccho et	IV,	1,	47.
nemo adeo		15,	14.

γγ) in

Ergo ego	IV,	21,	17.

δ) in secunda thesis brevi:

Puto Arioniam	III,	21,	18.

e) diphthongi ae:

α) in arsi:

Idae et	I,	2,	17.
Vitae et	II,	1,	74.
Europae atque		3,	36.
Furiae aut	IV,	4,	41.
Helenae in		7,	32.
multae ante		20,	9.

β) in longa thesi:

Demissae in III, 31, 37.

Quibus ita compositis neque Tibullum, neque Lygdamum, neque laudatorem Messallae regulas prius adpositas violasse videmus, Propertium nonnumquam liberius se gessisse. Attamen praeter exceptiones tres propter nomina propria admissas, tantum sequentes invenimus: Merito hamatis, vario amplexu, nemo esset, inmorso aequales, quaerendo audita, nemo adeo, e quibus exemplis apparet, nullibi nisi **o** finali praecedente regulasesse violatas, quare coniecturam, quam ingenuose critici invenerunt, coniugii obscaeni; pro illo quod prius legebatur, coniugis, minus probare possumus. Unum enim exemplum talis elisionis esset sat audacter in Properti carmina introductum! Quod vero attinet ad elisionem vocalis longae ante brevem, de elisione vocalis cum prima vocis ego syllaba concurrentis, iam prius pauca adnotavimus, **o** finale vocis puto saepe brevis vocalis locum tenere notandumst, ita ut minus bonae elisiones remaneant apud Tibullum una, quinque apud Propertium; nam **o** finale vocis quando saepius corripi iam Schultzius l. c. demonstravit.

§. 3.

De versibus duas pluresve synaloephas continentibus.

Elegiarum scriptores, quum ad delectandum potius quam ad docendum vel ad flagellandum carmina conscripserint, maxime in re de qua loquimur, caute versati sunt, ita ut versus duas synaloephas continentes, qui sane indulgentia maiore digni sunt quam versus, in quibus tres vel quattuor synaloephae inveniuntur, raro apud elegiacos legantur. Qui vero optimi inter ipsos habendi sint versus, Schultzius iam indicavit, pauca tamen de ea re addemus. Elisionem enim vocalis **e** in voce est etiam opud oratores usitatam fuisse iam prius adnotavimus, quare etiamsi ter vel quater in eodem versu legeretur, poeta contra elegantiae leges peccasse non videretur. Est vero coniunctum elisum cum alia elisione ita considerari debet, ac si non adesset. Elisio duplex vocalis **e** in eodem versu reperta ordinibus optimis proxime accedit; sequitur illam elisio alius vocalis cum vocali **e** elisa coniuncta; pro minus bonis habendi sunt versus illi, in quibus duae praeter illas quas nominavimus elisiones inveniuntur. De versibus tres elisiones continentibus postea loquemur. Versus autem in quibus duae elisiones inveniuntur, Tibullus posuit tredecim, Lygdamus duos, laudator Messallae tres, Propertius nonaginta tres (vel duos.)

Apud Tibullum hos invenimus ordines:

α) Est elisum bis in versibus duobus:

Quid tibi saevitiae mecumst? An gloria magnast. I, 6, 3.
Fabula nunc illest, sed cui sua cura puellast. II, 3, 31.

β) Est semel elisum praeter aliam elisionem quater:

Quaecunque oppositast ianua dura sera. I, 8, 76.
Ante oculos Laurens castrum murusque Lavinist. II, 5, 49.
Saepe ubi nox promissa mihist, languere puellam. V, 6, 49.
Nunc agna exiguist hostia parva soli. I, 1, 22.

γ) Vocalis e vel bis, vel praeter aliam semel, elisa:

Saepe aliam tenui sed iam cum gaudia adirem. I, 5, 39.
Atque aliqua adsiduae textrix operata Minervae. II, 1, 65.
Ipse interque greges interque armenta Cupido. II, 1, 67.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat. II, 10, 23.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis. II, 1, 61.
Uror ego ante alias, iurat hoc Cerinthe quod uror. IV, 5, 5.
Quae sola ante alios est tibi magna deos. IV, 13, 16.

Lygdamus praebet:

α) Est semel elisum praeter aliam elisionem:

Sed tamen ut cum quaest, sive illi vera moneri. 4, 11.

β) vocalem e bis elisam:

Et longe ante alias omnes mitissima mater. 4, 93.

Laudator Messallae vocalem e sive bis sive semel praeter aliam vocalem elisam praebet in versibus:

Sive hac sive illac veniat gravis impetus hastae. 96.
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis. 148.
Fortuna ut mos est illi, me adversa fatiget. 182.

Propertius ordines sequentes praebet:

α) Est bis elisum in versibus duobus:

Nullast poscendi, nullast reverentia dandi. IV, 12, 13.
Nec mea mutatast aetas, sine crimine totast. V, 11, 45.

β) Est semel elisum praeter aliam elisionem in versibus quattuordecim:

Tam multa illa meo divisast milia lecto. I, 12, 3.
Omne in amore malum, si patiare, levest. II, 5, 16.
Sed vobis facilest verba et componere fraudes. II, 9, 31
Desertum Eoa passa iacere domost. III, 10, 8.
Una aut altera nox nondumst in amore peracta. III, 19, 3.
Iam tibi Iasonia notast Medea carina. III, 19, 29.
Haec atque illa mali vulneris una viast. III, 20, 46.
Sed non tam ardoris culpast neque crimina caeli. III, 24, 5.
Ino etiam prima terris aetate fugatast. III, 24, 19.
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne marest. IV, 6, 12.
Gloria Lysippost animosa effringere signa. IV, 8, 9.

Namque ubi mortifero iactast fax ultima lecto. IV, 12, 17.
Nec digitum angustast inseruisse via. IV, 13, 30.
Nam quid ego adiciam, de quo mihi maxima famast. V, 2, 41.

His unum versum, ubi non est sed es invenitur elisum addere debemus, si quidem vocem siqua unam esse contendimus (de qua lectione conferas Muellerum d. r. m. p. 284.), qui versus legitur in libro quarto:

Mens bona, siqua dea's, tua me in sacraria dono. 24, 19.

γ) vocalem e sive bis sive semel elisam praeter aliam elisionem in versibus quinquaginta et uno:

Ille etiam Hylaci percussus vulnere rami. I, 1, 13.
Osculaque admota sumere et arma manu. I, 3, 16,
(ubi al. per optimam coniecturam: sumere cara manu.)
Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos. I, 9, 27.
Possum ego diversos iterum coniungere amantes. I, 10, 15.
An poteris siccis mea fata opponere ocellis. I, 17, 11.
Saepe inprudenti fortuna occurrit amanti. I, 20, 3.
Sive illam Cois fulgentem incedere coccis. II, 1, 9.
Ut possem heroas ducere in arma manus. II, 1, 18.
Europae atque Asiae caussa puella fuit. II, 3, 36.
Tu rapere intactas docuisti inpune Sabinas. II, 6, 21.
Sive ea caussa gravis, sive ea caussa levis. II, 9, 36.
Surge anima ex humili iam carmine, sumite vires. III, 1, 11.
Atque utinam Romae nemo esset dives et ipse. III, 8, 19.
Excipere et stricto figere avem calamo. III, 12, 24.
In te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas. III, 13, 11.
Et nunc inter eos tu sermo es, te ille superbus. III, 14, 7.
Ferre ego formosam nullam onus esse puto. III, 19, 24.
Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero. III, 20, 10.
Et tabula una duos poterit componere amantes. III, 22, 13.
Morte neque hic Boreae flabra neque arma timet. III, 23, 12.
Redde etiam excubias divae nunc, ante iuvencae. III, 26, 15.
(Et petere Hyrcani littora Eoa maris. III, 28, 20;
e coniectura pro lectione librorum MSS: littora nota, Lachmanni nuda, Heinsii lata.)
Deinde inter matrem deus ipse interque sororem. III, 29, 15.
Atque etiam ut Phrygio fallax Maeandria campo. III, 32, 35.
Ite agite expertae bello date lintea prorae. III, 3, 7.
Ite et Romanae consulite historiae. IV, 3, 10.
Sicine eam incomptis vidisti flere capillis? IV, 5, 9.
Tu minitare oculos subiecta exurere flamma. IV, 7, 7.
Ille Helenae in gremio maxima bella gerit. IV, 7, 32.
Iudicia et venies tu quoque in ora virûm. IV, 8, 32.
Prosequar et currus utroque ab littore ovantes. IV, 8, 53.
Ausa Iovi nostro latra opponere Anubim. IV, 10, 41.

Certa loquor, sed nulla fides, neque enim Ilia quondam. IV, 12, 61.
Paeana Amphion rupe Aracynthe tua. IV, 14, 42.
Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem. IV, 21, 11.
Incipiam aut hortis, docte Epicure, tuis. IV, 21, 26.
Sive ebore exactae seu magis aere manus. IV, 21, 30.
Tu licet adspicias coelum omne Atlanta gerentem. IV, 22, 7.
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum. IV, 23, 24.
(Atque ibi Fidenas longa erat isse vias V, 1, 36;
e coniectura pro: Hac ubi Fidenas longe erat ire vias.)
Exemplum grave erit Calchas, namque Aulide solvit. V, 1, 109.
Denique ubi amplexu Venerem promiseris empto. V, 5, 33.
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos. V, 7, 33.
Ardente e nostro dotem habitura rogo. V, 7, 48
Atque ait admissae si vis me ignoscere culpae. V, 8, 73.
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum. V, 8, 77.
Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat. V, 9, 38.
Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo. V, 9, 53.
Cede agedum et tuta limina linque fuga. V, 9, 54.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris. V, 11, 83.

δ) Duas duriores elisiones admissas in versibus viginti quattuor:
Aut canerem Aegyptum et Nilum, cum tractus in urbem, II, 1, 31;
ad quem locum vide notam Lachmanni, qui proposuit, c a n e r e i n c i p e r e m N i l u m pro lectione librorum MSS. c a n e r e m C y p r u m et; ubi tamen exempla a Lachmanno prolata ad hunc locum non quadrare videntur.
Verum etiam instanti laesa repugnat ovis. II, 5, 20.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto. II, 8, 5.
Fortem illum Haemoniis Hectora traxit equis. II, 8, 38.
Nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes. III, 1, 25.
Et pharetra ex humero Cnosia utroque iacet. III, 3, 10.
Quem modo felicem invidia admirante ferebant. III, 9, 11.
Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos. III, 10, 11.
At tu etiam iuvenem odisti me, perfida, cum sis. III, 10, 19.
Quos utinam in nobis, vita, experiare labores! III, 19, 13.
At vos qui officia in multos revocatis amores. III, 20, 39.
Crudelem et Boream rapta Orithyia negavit. III, 22, 31.
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit. III, 25, 11.
An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit. III, 30, 41.
Offensa illa mihi, non tibi amica dedit. IV, 7, 40.
Nam quid ego heroas, quid raptem incrimina divos? IV, 10, 27.
Castra decem annorum, et Ciconum mons Ismara, Calpe. IV, 11, 25.
Nemo adeo ut noceat, barbarus esse volet. IV, 15, 14.
Geryonae stabula et luctantum in pulvere signa. IV, 22, 9.
Flebo ego discedens, sed fletum iniuria vincet. IV, 25, 7.
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis! V, 4, 43.

Centum illi in prato saepe Senatus erat. V, 1, 14.
Vidi ego odorati victura rosaria Paesti. V, 5, 61.
Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu. V, 6, 33.
Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi. V, 7, 36.

Ultimus igitur ordo versuum duas synaloephas continentium, qui omnium minime elegantes exstant, omnino a Tibulli et Lygdami carminibus abest, qui vel in iis duplicibus quas admiserunt synaloephis ita caute sunt versati, ut duae elisiones nisi attente legentibus non appareant. Lygdamus vero prae ceteris regulam sequitur, duas elisiones nisi in vocali **e** in unum versum non esse admittendas. Sed multo magis regulae elegantiae versibus tres elisiones continentibus violantur, quam ob rem Tibullus cum suis ab iis omnino abstinuit, quos undecies admittere Propertius non dubitavit, e quibus maxime excusari possunt versus, in quibus e s t vel bis cum alia una, vel semel cum duabus aliis elisionibus elisum legitur; quibus proxime accedunt versus, in quibus vocalis **e** vel ter, vel bis praeter aliam vocalem elisam abiecta invenitur, quibus adiungemus illos, in quibus **e** semel et aliae vocales bis, vel vocales graviores ter elisae reperiuntur. Sed iam versus secundum ordines enumerabimus:

α) His olim, ut famast, vitiis ad proelia ventumst. II, 6, 15.
Nec forma aeternum aut cuiquamst fortuna perennis. III, 26, 11.
Saepe illam inmundis passast habitare tenebris. IV, 14, 17.
Et sis qua Ortygia et visendast ora Caystri. IV, 22, 15.
Saepe illa inmeritae causatast omina lunae. V, 4, 23.

β) Mineque amare aliam, neque ab hac discedere fas est. I, 12, 19.
Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles. II, 8, 29.
Deiphobumque Helenumque et Polydamanta et in armis. IV, 1, 29.
Haec eadem ante illam inpune et Lesbia fecit. III, 30, 45;
qui versus, quamquam tres tantum elisiones continet, propter hiatum, quem per caesurem poeta contegere voluit, praeter elisiones admissum inter minime bonos reponendus erit.

γ) Atque animam in tegetes putrem expirare paternas. V, 5, 69.
Aut spatia annorum aut longa intervalla profundi. IV, 21, 31.

Denique afferemus unum Propertii versum quattuor synaloephas continentem:
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois. II, 3, 43.

§. 4.

De loco quem synaloephae in versibus optinent.

Unam regulam, quam satis constanter ab elegiacis servatam videmus, elisionem admittendam non esse in primam versus arsim, neque in primam secundae pentametri partis arsim, neque in ultimum hexametri vel

pentametri pedem, neque in ultimam prioris ordinis pentametri arsim, raro in ultimam primi hexametri arsim, hic paucis exponere curabimus.

1. In prima versus arsi apud Tibullum et Tibullianos exceptiones inveniri non possunt; apud Propertium vero legimus bis vocem *eosdem* per synizesim proferendam (V, 7, 6, 7), quae synizesis etiam in ultimo pede nonnumquam invenitur, ut apud Tibullum II, 1, 49 alveo, apud Propertium IV, 18, 13 Enipeo; tamen pro elisione tenenda non est, quam ob rem rectissime L. Muellerus in laude Messallae scripsit (v. 189) *ante actos* loco *anteactos*.

2. Inveniuntur autem versus nonnulli (unus apud Tibullum, duo apud Propertium), ubi vocalis in prima secundi pentametri ordinis arsi elisa legitur; apud Tibullum I, 4, 56: Post etiam collo se inplicuisse volet; apud Propertium III, 6, 10: Immortalis ero, si altera talis erit; et IV, 22, 10: Herculis Antaeique Hesperidumque choros; nam

3. Coniunctio vocis *est* cum vocali praecedente re vera non est elisio, ut iam prius adnotavimus, ita ut haec coniunctio in ultimo hexametri vel pentamentri pede inveniri possit, quin regula violetur; quae regula apud Propertium nonnumquam in voce *es* adhibitast.

4. In ultima primi hexametri ordinis arsi nonnumquam apud Propertium invenitur vocalis elisa, semel apud Tibullum (I, 7, 61.), nam I, 2, 59 versus non per semiquinariam caesuram, sed per semiseptenariam dividendus esse videtur. Elisio vero in hac arsi tantummodo ante voces *et*, *es*, *aut* permitti potest, ita ut etiam Tibulli versus II, 4, 21, si urgeas, per caesuram semiquinariam dividi possit, quamquam melius legas: A mihi per caedem et facinus || sunt dona paranda. Si fortasse aliqua, quae per varias lectiones vel per coniecturas introducta huc referri possent, omittam, veniam mihi concedendam puto.

Praeter hanc regulam, quam modo exposuimus, nullas dari posse arbitror; nam quamquam in thesi pedis primi et in arsi secunda saepius quam in ceteris pedibus elisiones inveniuntur, regula tamen nullo modo potest definiri. Priusquam tamen huic capiti finem imponamus, Lygdamum prae ceteris regulas servasse notabimus, qui tanta arte versus composuit, ut ex elisionibus admissis, ex locis iisdem tributis, ex brevibus vel longis selectis facile appareat, alium poetam eumque perfectiorem, quam qui libros duos priores confecit, librum tertium conscripsisse.

Caput tertium.

De caesuris.

§. 1.

De caesuris in elegiis in genere.

Quot caesuras, quomodo et quibus in locis poetae Latini eas adhibuerint, quum optime L. Muellerus in libro de re metrica de his rebus dis-

putaverit, amplius demonstrare nolumus. Quibus vero modis poetae elegiaci a ceteris aberraverint prius exponendum videtur. Ante omnia, ut iam saepius diximus, considerare debemus, poetas elegiacos non ut docerent, sed potius ut delectarent, carmina conscripsisse. Jam vero ut delectarent, carmina ita componere debuerunt ut regulas usu definitas servarent, quin nimium illis utendo aures audientium taedio afficerent. Quam ob rem regula, quae satis certa observandast, apud Latinos caesuram post arsim tertiam admissam ceteris saepius et melius adhiberi, ab elegiacis ob has caussas violatast, quia primo alternis versibus pentametri inveniuntur, quibus propter leges metricas incisio penthemimeris, quae vocatur, inhaeret, deinde vero quia, ut Muelleri verbis utar, „initia rerum et fines aut materiae aut temporis significari spatiis“ constat, vel ut alio modo rem eandem pronuntiemus, quia saepissime per interpunctiones metrici fines, quin duri fiant, in alios mutari possunt. Ex his igitur regulis apparet, quo strictius leges metricae in elegiis observentur, eo maiorem incisionum semiquinariarum numerum inveniri, ut aequalitas, quae per eandem nimis repetitam incisionem produceretur, facili et rationali modo servetur, nimia vero singularitas suppositis aliis incisionibus vitari possit. Ne tamen falsas incisiones poetis tribuamus, ipsi tali modo versus composuerunt, ut ex eorum indole facile de incisionibus iudicari possit. Regulae vero fere sunt sequentes:

1. Incisio semiquinaria in illis versibus est ponenda, in quibus vox ultima prioris ordinis per modum appositionis vel attributi cum voce ultima versus cohaeret. Saepissime quidem in his versibus post incisionem nvenitur vox molossica, qua alia incisio prohibeatur, ut hoc versu: Omniaque ingrato || largibar numera somno; tamen adsunt versus plurimi hoc modo formati: Cynthia prima suis || miserum me cepit ocellis; vel Fictilia antiquus || primum sibi fecit agrestis; vel denique secundum normam huius pentametri: Nunc agna *exiguist* hostia parva *soli*; hoc modo formati: Solis aeternast || Phoebo Bacchoque iuventa; quae incisio, quamvis durior appareat, etiam versibus hoc modo conscriptis vindicari debet: Tempus erit cum me || Veneris praecepta ferentem.

2. Eadem incisio debet poni in illis versibus, in quibus vox post tertiam arsim scripta cohaeret eodem quo supra diximus modo cum ultima versus voce; ubi iterum saepe post caesuram molossicam legimus vocem qua alia incisio excludatur, ut hoc versu: Naturaeque decus || mercato perdere cultu; plerumque vero vocem anapaesticam vel spondaicam, ut his versibus: Sed pariter miseri || socio cogemur amore; Tum grave servitium || nostrae cogere puellae; vel denique eodem quo prius modo: Nec mihi Cassiope || salvam vis ura carinamst. Saepissime tamen in his versibus voces ultimas per formam verbalem, etiam participii coniunctas videmus, rarius per formam nominis.

Huc revocare possumus formas versuum, in quibus post tertiam arsim subiectum invenitur, forma verbi ultimo loco posita, ut hoc versu: Cum tibi praesertim || Phoebus sua carmina donet.

Duae quas adtulimus regulae coniunctae eandem incisionem requirunt, ut in versibus: Et te circum omnes || alias irata puellas; I quaeso et tristes || istos conpone libellos; nisi hos versus ad ultimum semiseptenariarum casum referre malueris. Quia de his dubitamus postea (§ 3, 7.) etiam ad versus semiseptenariam habentes referemus.

3. Eadem incisio debet poni in versibus, in quibus post tertiam arsim accusandi vel generandi vel dandi casus invenitur, qui cum verbo vel cum nomine sive ultimo loco posito sive inmediate sequente integerrime cohaeret, ut his versibus:

At vos qui sero // lapsum revocatis amici.
Non tamen ausus eram // dominae turbare quietem.
Subiecto leviter // positam temptare lacerto.

4. Incisio adest semiquinaria, si post tertiam arsim ut, ne, quin, quod, infinitivus vel accusativus cum infinitivo legitur ut his versibus:

Non ego nunc vereor // ne sim tibi vilior istis.
Non illis studium // volgo conquirere amantes.

5. Denique semiquinaria debet vindicari iis versibus, in quorum prima parte duae voces respondent duabus partis posterioris, forma verbalis semper in ultima parte posita, ut his versibus:

Compositos levibus // radiis patefecit ocellos.
Nec Phrygium falso // traxit candore maritum.
Pomosisque ruber // custos ponatur in hortis.

6. His regulis quibus fere semper, si finem materiae interpunctione expressum adiungas, incisiones semiquinariae designantur, paucas suptiliores addemus. Si enim ante caesuram nomen invenitur et forma verbi in fine versus, vel si post caesuram forma verbi positast, vel si post tertiam arsim vocabulum legitur, quod ex usu loquendi cum alio in fine posito cohaerere debeat, vel si post tertiam arsim duae voces leguntur, quae sive per praepositionem sive per modum attributi inter se coniunctae sunt, vel si accusandi aut dandi casus dependet a forma verbi, vel generandi casus a forma nominis loco paenultimo positi, incisio semiquinaria ponendast, ut his versibus:

A mea contemptus // quotiens ad limina curris.
Nec tibi nobilitas // poterit succurrere amanti.
Te bellare decet // terra, Messalla, marique.
Janua iam pateas // uni mihi, victa querellis.
Non ego tellurem // genibus perrepere supplex.
Et modo solvebam // nostra de fronte corollas.
At tu qui laetus // rides mala nostra, caveto.

7. Incisionem semiseptenariam apud elegiacos paucis exceptionibus admissis, inveniri, ubi pro caesura virili in tertio pede caesura feminea legetur, post L. Muellerum demonstrare superfluum esse videtur; notamus tantum, sub hac conditione fere semper hephthemimerim cum trithemimeri coniungi. Verissime tamen idem auctor p. 183 addit: „Sed enim salva elegantia abesse potest trithemimeris, cum in tertia arsi orationis pars erit finita. Hac autem sub conditione hephthemimerim fere optinere verumst, si post quartam arsim cum verbo finiatur sententia, quali habes metro hoc:

Oscula libavit natae, dehinc talia fatur“.

Jam finitur sententia non solum ante maiorem, quae vocatur, interpunctionem, ut hoc versu:

Nunc desiderium superest: nam cura novatur;

vel ante minorem, ut his versibus:

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro.
Non ego laudari curo, mea Delia, tecum;

sed etiam ante aliam sententiae partem per coniunctiones et, que, nec, seu, sim coniunctam, ut his versibus:

Ferte per extremas gentes // et ferte per undas.
Jam subrepet iners aetas // nec amare licebit.
At vos exiguo pecori // furesque lupique.

Saepissime vero verba duo ultima ante caesuram posita inter se cohaerent eodem casu. Haec regula etiam ad attributa et appositiones translata valorem recipit, ita ut si appositio versum compleat, hephthemimeris ponenda sit, ut hoc schemate:

Hunc duo sectati fratres // Aquilonia proles;

sin autem appositio non compleat versum, saepius penthemimeris quam hephthemimeris seligatur. Sic hephthemimeris ponatur hoc versu:

Tu licet Antiopae formam // Nycteidos et tu;

penthemimeris vero melius ponatur hoc schemate:

Sed droles Semeles // Bacchus doctaeque sorores.

Denique etiam in contrariis, quae modo iam exposito proferuntur, semiseptenaria ponendast:

Vos quoque felicis quondam // nunc pauperis agri.

8. Praeter duas, quas modo exposuimus, regulas minores subtilioresque nonnullae addi possunt.

α) Si verbum inpersonale piget, taedet, iuvat, sim. alia voce non intermissa, post caesuram semiquinariam legitur, caesura in hephthemimerim mutetur. Saepe iam ex versus indole, ubi poni debeat caesura concludere possumus; est ubi minus ante oculos ponatur. Conferas hos versus:

Nec tamen interdum pudeat // tenuisse bidentes.
Non agnumve sinu pigeat // fetumve capellae.
Sed tamen ut tecum liceat // Cerinthe, vagari.

Haec autem regula in illis versibus non est adhibenda, ubi iam per interpunctionem sive alio modo penthemimeris positast, ut hoc versu:

Haec alii cupiant, // liceat mihi paupere cultu.

Nulla tamen modo ad cetera verba regula transferri debet, quum cetera verba, praecipue possum et prosum semper ad ultimam versus partem pertineant. Secundum hanc regulam definire possumus, ubi in his versibus caesura poni debeat:

Oniveam quae te // poterit mihi reddere lucem!
Longa dies homini // docuit parere leones.
Ille meos numquam // patitur requiescere postes.
Et mala siqua tibi // dixit dementia nostra.
Quarum nulla tuos // potuit convertere mores.
Quin etiam sedes // iubeat si vendere avitas;

quorum ultimos eo consilio adposuimus, ut nonnumquam etiam aliis adhibitis mediis poetas regulam firmasse monstraremus.

β) Si duae voces inter se cohaerentes ab arsi tertia incipiant desinantque in arsi quarta, et

γ) si vox in arsi quarta desinens cum priori coniungi debeat, quas in accusandi casu positas legimus, subiectum vero vel forma verbalis sequatur, iterum hephthemimeris ponendast, ut his versibus:

Quid credam? nempe haec eadem // se dixit amores.
Ille sacras pueri sortes // ter sustulit illi.
Et quodcumque mihi donum // novus educat annus.

δ) Denique ponatur hephthemimeris, si genetivus cum nominativo vel cum accusativo coniunctus inveniatur in ultimis prioris ordinis pedibus, ut his versibus:

Non ego divitias patrum // fructusque requiro.
Nec tibi gemmarum quidquid // felicibus Indis.
Pavit et Admeti tauros // formosus Appollo.

Quibus regulis expositis iam videre possumus, quo modo poetae, de quibus tractamus, caesuras posuerint.

§. 2.

De singulis caesuris semiquinariis.

Priusquam illas caesuras enumerabimus, quas propter regulas modo expositas in elegiis legimus, illas iam proferemus, quas necessitate versuum positas agnoscimus. Hae vero sunt triplicis generis; debet enim caesura semiquinaria admitti propter voces longiores, semiseptenariam non permittentes, ut hoc versu:

Quid me scribendi || tam vastum mittis in aequor;

vel propter interpunctionem post tertiam arsim positam:

Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles;

vel denique propter caussas duas, quas exposui, coniunctas ut hoc versu:

At magnus Caesar. Sed magnus Caesar in armis.

Versus igitur, quibus caesura necessaria semiquinaria inest, permulti inveniuntur; sunt enim apud Propertium nongenti unus, apud Tibullum ducenti triginta quattuor, apud Lygdamum sexaginta duo, totidem apud laudatorem Messallae.

2. Versus vero schema primum caesurarum continentes,

Cynthia prima suis || miserum me cepit ocellis,

leguntur apud Propertium trecenti octoginta duo, apud Tibullum undeseptuaginta, apud Lygdamum septemdecim, in laude Messallae quinquaginta quattuor; quibus adnumerari possunt septem Properti, duo Tibulli versus hoc schema prae se ferentes:

Tarpeiusque pater || nuda de rupe tonabat;

et Tibulli I, 4, 37: Solis aeternast || Phoebo Bacchoque iuventa.

Secundum hanc regulam versus nonnulli (quinque Properti, unus Lygdami) formati sunt, quamquam paullo alio modo:

Omnia formosam || propter Briseida passus.	Prop. II, 8, 35.
Evolat heu nostro || quoniam de pectore nusquam.	III, 3, 15.
Desit odoriferis || ordo mihi lancibus, adsint.	III, 5, 7.
Quid fles abducta || gravius Briseide quid fles.	III, 13, 1.
Haec postquam querula || mecum sub lite peregit.	V, 7, 95.
Convenit iratus || nimium nimiumque severus.	Lygd. 6, 21.

3. Schemate hoc versu expresso:

Flebis non tua sunt || duro praecordia ferro;

Propertius usus est centies septuagies ter, Tibullus quinquagies, Lygdamus vicies ter, laudator Messallae decies novies; quibus versibus adiungi possunt Tibulli tres, Properti sedecim, Lygdami duo, laudatoris Messallae tres hoc modo formati:

Cum tibi praesertim || Phoebus sua carmina donet.

4. Ad schema:

At vos, qui sero || lapsum revocatis amici;

referri possunt versus sexaginta sex Properti, Tibulli viginti quinque, Lygdami et laudatoris Messallae septeni. Praeter hos etiam Tib. I, 3, 51:

Parce pater timidum || non me periuria terrent;

huic schemati recte adtribui videtur.

5. Rarissime schemate hoc:

Nec Phrygium falso || traxit candore maritum;

poetae usi sunt; invenimus enim tantum quinquies apud Propertium, semel apud Tibullum, cui secundum addas versum I, 3, 75:

Porrectusque novem || Tityos per iugera terrae.

6. Versus semiquinaria praediti secundum regulam huius versus:

Quare quid possit || mea Cynthia, desine Galle;

inveniuntur apud Propertium viginti quattuor, apud Tibullum quattuordecim, apud Lygdamum et in laude Messallae quaterni; praeterea Properti I, 9, 15:

Quod si non esset || facilis tibi copia, nunc tu; huc referendus est.

7. Regulam hoc versu expressam:

Nec tibi nobilitas || poterit succurere amanti;

Propertius secutus est sexagies septies, Tibullus vicies quinquies, Lygdamus et laudator Messallae senis versibus.

8. Schemate sequenti:

Mi neque amare aliam || neque ab hac desistere fas est;

Propertius usus est decies octies, Tibullus bis, Lygdamus semel, laudator Messallae ter.

9. Formam sequentem:

Et modo solvebam || nostra de fronte corallas;

Propertius adhibuit bis, Tibullus semel.

10. Ultimam formam regularem:

Non illis studium || volgo conquirere amantes;

Propertius adhibuit duodecies, Tibullus quinquies, Lygdamus et laudator Messallae singulis versibus. Nescio an Properti versus I, 18, 15 huic ordini attribui possit:

Ut tibi sim merito || semper furor et tua flendo.

Iam restant versus undeviginti apud Propertium, sex apud Tibullum, tres apud Lygdamum, tres in laude Messallae, quibus propter caussas suptiliores caesuras semiquinarias tribuere debemus. Sunt vero apud Propertium:

Interdum leviter || mecum deserta querebar.	I, 3, 43.
At quo sis humilis || magis et subiectus amori.	I, 10, 27.
Sic mihi te referas || levis ut non altera nostro.	I, 18, 11.
Omnia consuevi || timidus perferre superbae.	I, 18, 25.
Templa Pudicitiae || quid opus statuisse puellis.	II, 6, 26.
Adspice uti caelo || modo sol modo luna ministret.	III, 15, 35.
Cernere uti possis // voltum custodis amari.	III, 17, 9.
Namque in amore suo || semper sua maxima cuique.	III, 20, 31.
Nunc admirantur || quod tam mihi pulchra puella.	III, 22, 1.
Tristia iam redeunt || iterum sollemnia nobis.	III, 31, 1.
Qualis et Eurotae || Pollux et Castor harenis.	IV, 13, 17.
Quod superest vitae || per te et tua cornua vivam.	IV, 16, 19.
Ante fores templi || crater antistitis auro.	IV, 16, 37.
Arboreasque cruces || Sinis et non hospita Grais.	IV, 22, 37.
† Illa velit poterit || magnes non ducere ferrum.	V, 5, 9.
Ingerat Apriles || Iole tibi, tundat Amycle.	V, 5, 35.
† Frangit et attollit || vires in milite caussa.	V, 6, 51.
Rectius hinc traxit || Phoebus monimenta quod eius.	V, 6, 67.
Maenalio iacuit || pulsus tria tempora ramo.	V, 9, 15,

quorum duobus, quibus signum (†) adposuimus, melius fortasse semiseptenariam tribuere possemus.

Sex vero Tibulli versus sunt hi:

Ipse boves mea si // tecum modo Delia possim.	I, 2, 71.
Nunc Iove sub domino // caedes et vulnera semper.	I, 3, 49.
At scelerata iacet // sedes in nocte profunda.	I, 3, 67.
Haec foribusque manet // noctu me adfixa proculque.	I, 6, 61.
Ure meum potius // flamma caput et pete ferro.	I, 9, 21.
Saepe ego cum dominae // dulces a limine duro.	II, 6, 47.

Apud Lygdamum tres notatu digni:

Nam grave quid prodest // pondus mihi divitis auri.	3, 11.
Sed proles Semeles // Bacchus doctaeque sorores.	4, 45.
Quid fraudare iuvat // vitem crescentibus uvis.	5, 19.

In laude Messallae tres:

Facta queat dictis // ut non maiora supersint.	6.
Nec tamen hinc aut hinc // tibi laus maiorve minorve.	40.
Iusta pari premitur // veluti cum pondere libra.	41.

Postremo, ut errores praescindamus, notamus, saepe versibus a nobis semiquinariam vindicari, in quibus, nisi alia regula interveniat, semiseptenaria ponenda esse videri possit, quod facile uno exemplo demonstrare potest. Nam versui: Ure meum potius flamma caput et pete ferro; semiquinariam tribuere debemus eam ob caussam, quod caesura bucolica cum semiseptenaria coniungi regulariter nequit. Attamen libenter confitemur, saepissime iudicium non re, sed potius opinione formatum proferri, ita ut illos, qui aliter sentiant, nos non re ipsa, sed iudicii protervitate nostrisque praesumptionibus, ut vocantur, errasse existimaturos esse speremus; quod eodem modo de caesuris semiseptenariis dictum esse volumus.

§. 3.

De ceteris praeter semiquinariam caesuris admissis.

Una prae ceteris caesura hephthemimeris hic nobis tractanda relinquitur, de aliis pauca tantum addemus. Iam caesura hephthemimeris cum trithemimeri coniuncta, ut hoc versu:

Hoc utinam / spatiere loco // quocumque vocabis;

invenitur apud Propertium centies vicies sexies, apud Tibullum centies vicies octies, apud Lygdamum tantum ter, in laude Messallae vicies septies; praeter quos apud Tibullum quinque versus inveniuntur, quibus, quia caesuram femineam apud hunc poetam non admittimus, eandem caesuram tribuere debemus.

Sic venias / hodierne: tibi // dem turis honores.	I, 7, 59.
A lapis est / ferrumque, suam // quicumque puellam.	I, 10, 59.
At nobis / Pax alma, veni // spicamque teneto.	I, 10, 67.
Dicamus / bona verba (venit // natalis) ad aras.	II, 2, 1.
Pone metum, / Cerinthe; deus // non laedit amantes.	IV, 4, 15.

2. Versus in quibus hephthemimeris sola invenitur, trithemimeris vero exulat, ut hoc versu:

Hic ego pastoremque meum // lustrare quotannis;

apud Propertium septemdecim, apud Tibullum undecim, tres apud laudatorem Messallae leguntur. Praeter hos duo Tibulli versus:

Quisquis amore tenetur, eat // tutusque sacerque.	I, 2, 27.
Desine dissimulare: deus // crudelius urit.	I, 8, 7;

eandem regulam sequuntur, nam ea, quae L. Muellerus d. r. m. p. 201 docet, omnino probamus, inprobanda tamen existimantes, quae p. 200 scripsit. Caesura enim hephthemimeris sine trithemimeri apud Lygdamum inveniri non potest, nisi versu 17 eligiae sextae:

Haec amor et maiora valet; sed poscite Bacchi:

in quo versu sine dubio trithemimeris poni debet, nam post vocem et ab

omnibus caesuram admitti saepius invenimus, sic Propertius scripsit: Haec certe deserta loca et // taciturna querenti; Tibullus vero in versu, quem modo descripsimus (I, 8, 7), eodem modo caesuram adhibuit, quem in versu a Muellero adlato:

Labitur exanimisque, tremens procumbit humi bos; adhibitum videmus. Ne tamen propter opinionem solam haec protulisse videamur, versus enumerabimus, ubi eandem caesuram apud elegiacos invenimus. Schema igitur sequens:

Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis; invenitur apud Tibullum I, 1, 35; 2, 63; 10, 37; II, 1, 35; 3, 71; 5, 11; IV, 6, 13; in ceteris versibus quinque vox post primum trochaeum desinit neque caesura trithemimeris legitur. Sed peius Propertius scripsit:

Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem. II, 9, 9.
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos. II, 6, 29.
Nec sic errore exacto laetatus Ulixes. III, 6, 3.
Si te Eoa Dorozantum iuvat aurea ripa. V, 5, 21.
Me quoque consimili inpositum torquerier igni. IV, 5, 39.

Haec aliaque minus limata apud Tibullum non inveniuntur; versus vero I, 2, 27 digne cum illo comparatur, quem Muellerus ex laude Messallae adtulit:

Erigoneque Canisque neget ne longior aetas. 11.

Denique ut hoc adnotemus, omittitur incisio post tertium trochaeum decies apud Tibullum, octies apud laudatorem Messallae, semel tantum (1, 17) apud Lygdamum. Sed de his iam satis dictumst.

3. Tertia forma caesurae semiseptenariae:
Hostis siquis erit nobis, // amet ille puellas.
Ferte per extremas gentes // et ferte per undas;
invenitur apud Propertium octogies quater, apud Tibullum sexagies quinquies, quinquies apud Lygdamum, novies in laude Messallae.

4. Formas sequentes:
Illa favet seu qui iuvenis // nova limina temptat.
Tu licet Antiopae formam // Nycteidos et tu;
invenimus apud Propertium tricies, vicies septies apud Tibullum, novies apud Lygdamum, in laude Messallae quater.

5. Remanent formae subtiliores:
Me legat adsidue post haec // neglectus amator.
Nec tamen interdum pudeat // tenuisse bidentes.
Inveniam tamen e multis // fallacibus unam.
Unicuique dedit vitium // natura creato;
quas praeter secundam et ultimam, pro quibus singula exempla invenire possumus, Lygdamus vitavit, Tibullus caute (octies tantum) adhibuit, Propertius vicies quater versibus inseruit.

Versus Tibulli (I, 9, 67): Tune putas illam pro te disponere crines; respondet Properti I, 8, 17; et Tibulli versus II, 4, 21: A mihi per caedem et facinus // sunt dona paranda; respondet Properti IV, 1, 61.

6. Supersunt versus decem Properti, unus Lygdami, tres laudatoris Messallae, quibus propter varias rationes semiseptenaria tribuere debemus. Numeros versuum, ne longius rem tractemus, adponemus; apud Propertium I, 4, 21; 9, 13; 18, 5; II, 4, 9; III, 7, 17; 8, 55; 26, 11; 27, 17; IV, 1, 43; 15, 25; V, 5, 43; apud Lygamum 3, 1; in laude Messallae 8, 147, 204.

7. De ceteris caesuris quid proferri possit, breviter exponi postest, quia praeter unum laudatoris Messallae versum:

Non amor et fecunda Atlantidos arva Calypsus 77, in quo versu eodem modo ac in Properti II, 3, 31:

Nec semper nobiscum humana cubilia vises; semiquinaria poni debet, quae Prop. IV, 1, 29:

Deiphobumque Helenumque et Polydamanta et in armis; etiam vindicari debet, in Tibulli carminibus nihil invenitur, de quo amplius tractandum esset. Octo vero apud Propertium leguntur versus, qui revera solam caesuram femineam admittunt, e quibus quattuor praeter illam secundaria trithemimeri praediti sunt:

Seu mihi sunt / tangenda // novercae pocula Phaedrae II, 1, 51.
Non ferrum / crudele // neque esset bellica navis. III, 7, 43.
A pereat / quicunque // meracas repperit uvas. III, 31, 27.
Ut nostris / tumefacta // superbiat Umbria libris. V, 1, 63.

Loco trithemimeris in duobus versibus secunda feminea caesura positast:

Cum te iussit / habere // puellam cornua Iuno. III, 31, 9.
Et graviora / rependit // iniquis pensa quasillis. V, 7, 41.

Secunda caesura omnino dest in versu:

Non me moribus illa // sed herbis inproba vicit. IV, 5, 25.

Denique unum versum adponemus, qui, si apud Tibullum inveniretur, a caesura feminea inmunis existimari posset, cui tamen, quia in Properti carminibus exstat, femineam tribuere debeamus:

Tot noctes periere; nihil pudet? adspice cantat. III, 14, 5.

Nescio an idem dicendum sit de versu II, 5, 3:

Haec merui sperare? dabis mihi, perfida, poenas.

8. Ut omnia caesurarum exempla complevisse videamur, unum exemplum afferemus, ubi nulla omnino caesura inveniri potest, versum Properti:

Quem modo felicem invidia admirante ferebant. III, 9, 11.
quam formam ceteri cautissime vitarunt.

9. Si vero ad ultimam partem huius capitis perveniamus et collationem poetarum, qualem e carminibus facere possumus, quum de caesuris loquimur, instituamus, facillime perspicere possumus, Tibullum prae ceteris caesuras semiseptenarias, quas admisit, ita formasse, ut caesuras et semiternariam et trochaicam post tertiam thesim posuerit; eundem ceteras quoque formas, parcius vero quam semiseptenariam cum semiternaria, adhibuisse; Lygdamum primam formam fere omnino abiecisse, ceteras tamen

alias alio modo carminibus inseruisse; laudem Messallae proxime abesse a carminibus Tibulli; maxime a Lygdami versibus; Propertium et in admittendis et in formandis caesuris semiseptenariis Lygdamo simillimum exstere, una tamen re ab omnibus differre, quod plurimos versus semiquinariam continentes ita formaverit, ut alia caesura admitti nequeat. Regulam igitur, quam Tibullus in formandis semiseptenariis adhibuit, Propertius in semiquinariis, Lygdamus in neutris probe servaverunt. Denique, si pulchram carminum indolem per caesuras creatam inspiciamus, facere non possumus, quin Tibullum ceteris praeferamus, et, quamquam ceteris in capitibus Lygdamum severiorem invenerimus, hac in re istum Tibullo vel etiam laudatori Messallae postponendum et vix Propertio praeferendum esse censeamus.

Caput quartum.

De finibus ordinum metricorum.

§. 1.

De finibus versuum hexametrorum.

Ordines metricos, quum vel per caesuras vel per versuum fines efficiantur, inter se varios esse, ante caesuras singulos tantum pedes amplecti, in fine versuum ad unum dimidiumque pertinere a L. Muellero recte demonstratumst. Adsumptis igitur regulis, quas idem d. r. m. p. 208 sq. de regularibus versuum finibus exposuit, nobis inquirendumst, quomodo poetae elegiaci versuum et metricorum finium clausulas formaverint. De paucis Sulpiciae versibus in iis tantum locis, ubi a regulis deviare videntur, loquemur.

1. Pro prima regula, versuum et primo quidem hexametrorum fines per verba metrum exaequantia formari, plurima apud omnes inveniuntur exempla, hoc modo formata:

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos; qui versus exitus in Tibulli carminibus invenitur ducenties semel, quadragies quinquies apud Lygdamum, septuagies sexies in laude Messallae, quingenties septuagies quater apud Propertium.

2. Pro secunda regula, per verba etiam longiora, si modo exeant in rhythmos, iure licitos ordines metricos finiri posse, tripli cimod oexempla invenimus.

a) Modus communior is est, quo pes sextus incipit a secunda syllaba ultimae vocis, quae est trium syllabarum, pes vero quintus a prima vocis dissyllabae, ut hoc versu:

Navita de ventis, de tauris narrat arator; quem versus finem Tibullus posuit quadragies sexies, Lygdamus vicies semel, laudator Messallae vicies sexies, Propertius quadringenties quadragies semel.

b) Pes quintus potest incipere a secunda syllaba vocis quattuor syllabarum, vel a tertia vocis quinque syllabarum, sextus vero consistere verbo metrum exaequante, ut his versibus:

Saepe ego temptavi curas dēpellere vino.
Urbi festus erat, dixere Părilia patres.
Iuro ego fatorum nulli revolubile carmen;

secundum quos modos, quamquam primus saepius ceteris ponitur, Tibullus formavit fines versuum nonaginta et unius, undetriginta Lygdamus, laudator Messallae quinquaginta et octo, Propertius ducentorum sexaginta duorum; exempla vero paucissima inveniri possunt, ubi pes sextus uno constat vocabulo, pedes vero quintus et quartus etiam uno vocabulo consistunt. In quinque Properti exemplis huc pertinentibus pes quartus semper est spondeus:

Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu. III, 20, 13.
Et si iam pecces, deus exorabilis illest. III, 28, 11.
Atque ubi iam Venerem gravis interceperit aetas. IV, 4, 23.
Iunonis facito votum inpetrabile dixi. V, 1, 101.
Hic dulces cerasos, hic auctumnalia pruna. V, 2, 15.

in altero laudatoris Messallae dactylus legitur:

Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi. 45.
Horrea fecundas ad deficientia messes. 185.

Tibullus et Lygdamus arte metrica hos exitus nimis liberos vitaverunt.

c) Versus exitus potest ita formari, ut ultimus pes incipiat a secunda vocis ultimae syllaba, pes vero quintus a secunda vel a tertia vocis paenultimae syllaba, ut his versibus:

α) Di patrii, purgamus agros, pūrgamus agrestes.
β) Hinc Titiens Ramnesque viri Lŭcĕresque coloni.
γ) Disce quid Esquilias hac nocte fŭgarit aquosas.
δ) Interca cave sis nos āspērnata sepultos;

inter quas formas, quamvis eodem modo coniunctae appareant, prima a poetis ceteris longe praefertur, praesertim quum in forma tertia post trochaeum quartum incisio, quam etiam caesuram podicam vocant, inveniatur, in quarta vero forma pedes quartus et quintus coniuncti sint. Finem, quem primo loco posuimus, Tibullus habet centies tricies quinquies, Lygdamus tricies quinquies, laudator Messallae undevicies, Propertius trecenties octogies bis; finem secundum Tibullus posuit quadragies semel, Lygdamus undecies, laudator Messallae octies, Propertius centies quater; finem tertium invenimus apud Tibullum ter (I, 9, 83; IV, 5, 15; 13, 13), apud Propertium vicies septies, finem quartum apud Tibullum et in laude Messallae singu-

lis locis, decies quater apud Propertium. Cur formam tertiam, quae primae simillima apparet, tam caute evitarint poetae, iam L. Muellerus indicavit de incisione post quartum trochaeum disserens; tamen non est cur Lygdamum ceteris strictiorem melioremve hac in re praedicemus, quum etiam Tibullus in libro primo semel tantum incisionem trochaicam admiserit. Sed de hac re pauca in fine addemus.

Formas, quas cum iis, quas modo laudavimus, componere possemus, paucas apud elegiacos invenimus, quoniam quo perfectius poema est, eo rarius his et similibus formis dedecoratur.

Formam hanc:

Maecenas nostrae pars invidiosae iuventae; Tibullus bis (II, 1, 61; 5, 93), Propertius quater (II, 1, 39, 73; III, 19, 13; V, 1, 79) usus est, praeter quos apud Propertium versus minus elegantes secundam hanc regulam formatos legimus:

Nam cursus licet Aetoli referas Acheloi. III, 32, 33.
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos. V, 7, 33.
Sed thyio thalamo aut Oricia terebintho; IV, 6, 49.

quas formas Tibullus cum suis vitavit.

3. Tertiam regulam, ad pedem explendum monosyllabum arripi a trochaeo vel a monosyllabo longo praecedente, aut disyllabum longum vel duo monosyllaba brevia ad monosyllabum longum trahi, variis modis poetae adhibuerunt.

a) Ultimus pes, ut primum modum explicem, primam regulam sequitur, quem praecedit vox monosyllaba ad pedem quintum explendum, qui vel a prima vel a media quadam vocis antepaenultimae syllaba incipit.

α) Forma igitur prima erit haec:

At magnus Caesar. Sed magnus Caesar in armis;

quam vicies bis apud Tibullum, semel apud Lygdamum, decies in laude Messallae, quadragies quater apud Propertium invenimus; quam Lygdamus improbasse videtur, illa tantum utens, ubi nomine proprio licentiam sibi vindicavit:

Convenit ex aequo nec torvus Liber in illis. 6, 19.

β) Si pes quintus a media syllaba incipiat, longe usitatissimus modus est, si prima vocis palimbacchicae (— — ⏑) syllaba thesim quartam complet, ut hoc versu:

Ergo cum tenuem fuero mutatus in umbram;

quem modum etiam Lygdamus quater adhibuit, Tibullus vicies semel, laudator Messallae quater, Propertius quadragies semel.

γ) Pes vero quintus etiam incipere potest a syllaba tertia vocis rhythmum paeonis tertii (⏑ ⏑ — ⏑) habentis, hoc modo:

At tu natalis multos celebrande per annos;

quam formam Tibullus septies adhibuit, Propertius undevicies, Lygdamus et laudator Messallae vitaverunt.

δ) Praeter has formas regulares tres versus apud Propertium inveniuntur, qui quodammodo ad tertiam regulam pertinent, qui vero propter caussas prius expositas pro minus limatis haberi debent:

A valeat, Phoebum quicumque mŏratur in armis. IV, 1, 7.
Haec ego non ferro, non igne cŏactus et ipsa. IV, 24, 11.
Si dabit haec multas, fiam inmortalis in illis. III, 7, 39.

b) Alter modus, quo tertiam regulam adhibitam invenimus, is est, quo

α) vox disyllaba voci longae adiungitur, quale invenimus hoc versu:

Adstitit Augusti puppim super et nova flamma;

quem modum versibus finem imponendi Tibullus adhibuit decies sexies, laudator Messallae ter, Propertius decies quinquies, Lygdamus vitavit.

β) Pro voce disyllaba apud Propertium in duobus versibus binas voces monosyllabas legimus:

Iste quod est, ego saepe fui, sed fors et in hora. II, 9, 1.
Ipsa tuam serva prolem, Venus; hoc sit in aevum; IV, 3, 19.

quam formam Tibullus ejusque asseclae spreverunt.

c) Tertio modo, quo versus servata hac regula concludi possunt, pes ultimus in duo secatur monosyllaba, sive dactylo praecedente:

Caesaris haec virtus et gloria Caesaris haec est;

quem modum semel Tibullus (I, 4, 63), Propertius decies quinquies adhibuit; sive voce ionica a maiore ut hoc Sulpiciae versu IV, 11, 5:

At mihi quid prosit morbos evincere cum tu;

quam formam praeter hunc Sulpiciae versum invenimus sexies apud Propertium; sive voce paeonem secundum continenti, quam formam, ut minus bonam, Propertius adhibuit his versibus:

At tu seu mollis qua tendit Ionia seu qua. I, 6, 31.
Tum me vel tragicae vexetis Erinyes et me. III, 13, 29;

qui tamen versus propter nomina propria excusari possunt.

d) Quartus modus, quo hanc regulam adhibitam invenimus, vel est coniunctio primi modi cum tertio, vel secundi cum tertio.

α) In priori casu pes quintus eodem modo formatur, ut primo loco exposuimus, pes vero sextus binis monosyllabis constat, quam formam Propertius sexies adhibuit his versibus:

O me felicem! o nox mihi candida et o tu. III, 7, 1.
Consuluitque striges nostro de sanguine et in me. V, 5, 17.
Quo me fama levat terra sublimis et a me. IV, 1, 9.
Cur furibunda mero mensam propellis et in me. IV, 7, 3.
Hoc mihi, Maecenas, laudis concedis et a test. IV, 8, 59.
Solus amans novit, quando periturus et a qua. III, 23, 11.

β) In secundo casu pes sextus formatur duobus monosyllabis, pes vero quintus monosyllaba cum disyllaba voce coniuncta, quales legimus hos versus:

His saltem ut tenear iam finibus! hei mihi si quis; apud Prop. II, 4, 1, ubi tamen Muellerus scripsit siquis, et apud Sulpiciam IV, 10, 1:

Gratumst, securus multum quod iam tibi de me.

4. Omnia, quae hucusque exposuimus, exempla legibus metricis composita sunt; nunc enumerabimus exempla, quibus poetae regulas violarunt. Sunt vero duplicis generis, nam

a) partem nimia libertate in admittenda regula tertia poetae conscripserunt, quales versus invenimus apud Tibullum quinque, sex in laude Messallae, quinque apud Propertium hos:

Semper ut inducar, blandos offers mihi voltus. Tib.	I,	6,	1.
At bona, quae nec avara fuit, centum licet annos.	II,	4,	45.
Usque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus.	II,	5,	111.
Vive diu mihi dulcis anus; proprios ego tecum.	I,	6,	63.
Si modo me placido videat Nemesis mea vultu.	II,	4,	59.

in laude Messallae:

Nam quamquam antiquae gentis superant tibi laudes.	28.
Nam bellis experta cano! testis mihi victae.	107.
Fortis Japydiae miles, testis quoque fallax.	108.
Temperat alter et alterius vires necat aer.	168.
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis.	194.
Seu matura dies celerem properat mihi mortem.	205.

apud Propertium:

At nullo dominae teritur sub limine amor qui. III, 20, 17;

ubi tamen Muellerus scripsit: molimine amator, quae correctio propter versus exitum valde commendandast.

Ni tibi nos erimus, sed tu potius precor ut me.	III,	19,	35.
Cur saepe inmundo Sacra conteritur via socco.	III,	17,	15.
Deiphobumque Helenumque et Polydamanta et in armis.	IV,	1,	29;

quibus subiungimus versum:

At tu, quae nostro nimium placata dolore es. III, 31, 21;

quamquam, ut iam prius diximus, per elisionem vocalis e in es inter iustos reponi debet.

b) Versus generales regulas violantes sunt primo ii, quorum pedes quinti et sexti singulis vocabulis constant, unus laudatoris Messallae:

Incultos adiit Laestrygonas Antiphatenque. 59;

duo Properti:

Jam sibi dotatae regnum vetus Hippodamiae.	I,	8,	35.
Et tibi ob invidiam Nereides increpitarent.	III,	21,	15;

deinde versus, quos vocant spondaicos septem apud Propertium:

Illa sit Inachiis et blandior heroinis.	I,	13,	31.
Illic formosae veniant chorus heroinae.	I,	19,	13.
Qualis et Ischomache Lapithae genus heroine.	II,	2,	9.
Jam Pandioniae cessit genus Orithyiae.	I,	20,	31.

Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae.	IV,	6,	13.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta.	V,	4,	71.
Sunt apud infernos tot milia formosarum.	III,	26,	3;

quos vel propter nomina propria et Graeca, vel propter duritiem quandam elegiae excusabis.

Postquam hoc modo metrica poetarum studia in fingendis hexametrorum finibus perlustravimus, fatendumst, prae ceteris Lygdamum stricte regulas servasse, qui vel in iis, qui secundum regulas formari possent, optimos, omissis minus limatis adhibuerit; laudatorem Messallae saepius ceteris liberius se gessisse, Propertium nominibus propriis adhibitis saepe excusari posse.

§. 2.

De finibus pentametrorum.

In definiendis metricis pentametrorum finibus easdem regulas esse adhibendas, quas pro hexametris exposuimus, L. Muellerus satis demonstravit, simul caussas exponens, cur poetae eam optimam conclusionem putavissent, quae in voce disyllaba desinat.

1. Prae ceteris ille finis a poetis adhibetur, quo versus duobus disyllabis finitur, ut hoc versu:

Vivam si vivet; si cadat illa cadam;

qui finis apud elegiacos omnes ceteras formas numero aequat vel superat; invenimus eum adhibitum apud Propertium millies decies, apud Tibullum trecenties octogies septies, apud Lygdamum octogies, decies apud Sulpiciam.

2. Quia vero etiam formae longiores loco paenultimo admitti immo idem cum disyllabis ius sibi vindicare possunt, non est mirum, voces vel trium, vel quattuor, vel quinque syllabarum pro disyllabis paenultimis inveniri.

a) Formam igitur primam, huic versui similem:

Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus;

invenimus centies decies quinquies apud Tibullum, quadragies semel apud Lygdamum, quinquies apud Sulpiciam, sexcenties semel apud Propertium;

b) formam secundam, quam hoc versu invenimus:

Signa meae dextrae iam morientis erunt;

Tibullus quinquagies, Lygdamus ter, Sulpicia semel, Propertius decies et centies posuerunt;

c) tertiam, cuius schema hoc est:

Mortis ab extrema condicione vacant;

Tibullus adhibuit nonagies bis, Lygdamus undecies, Sulpicia ter, Propertius tantum quinquagies octies.

3. Duo alii modi, quibus pentametri finiri possunt, iam exponi debent, quorum primus ita formatur ut vox trium syllabarum in fine posita

cum praepositione loco paenultima posita monosyllaba iungatur, ut hoc versu:

Id tibi ne vacuo defluat ex animo;

vel etiam magna cum libertate:

Lumina deiectis turpia sint lacrimis;

quem finem apud Tibullum quater, apud Lygdamum bis, vicies quater apud Propertium invenimus. Secundum modum alterum poetae voces quattuor syllabarum in fine posuerunt ut hoc schemate:

Pars ego sum vestrae proxima militiae;

quem Tibullus vicies, Lygdamus quinquies, semel Sulpicia, Propertius centies quinquagies bis carminibus inseruerunt. Variis autem temporibus poetas eosdem varie de hoc fine (de aliis postea videbimus) sensisse, ex illo maxime elucet, quod in primo libro istum Propertius octogies octies, in quinto tantum quater adhibuit. Sic etiam finem iustum: Mundus demissis institor in tunicis; hoc tantum versu in quinto libro (V, 2, 38) invenitur.

4. Praeter hos fines secundum regulas artis formatos ceteros minus regulares enumerabimus.

a) Quia poetae loco praepositionis ante vocem trisyllabam in fine versus aliam vocem admittere non dubitarunt, paullatim etiam loco monosyllabi disyllabam vocem posuerunt, ut hoc versu:

Qui maris et tristes ferre potest pluvias;

quem finem Tibullus adhibuit decies octies, Propertius vicies quinquies in libris prioribus, nullibi in posterioribus, Lygdamus solum hoc versu:

Junonemque suam perque suam Venerem. 6, 48.

b) Praeterea tres inveniuntur apud Tibullum versus, in quibus loco vocis monosyllabae vel disyllabae vocabulum quattuor syllabarum positumst:

Dicere nec cano blanditias capiti. I, 1, 72.
Nec fugiam notae servitium dominae. IV, 13, 22.
Fecit et antiquis inposuit Laribus. II, 1, 60;

quorum priores quomodo excusari possint, secundum regulas metricas non liquet.

c) Regularem finem quattuor syllabarum poetae etiam in vocibus quinque syllabarum adhibuerunt, quem finem Tibullus adhibuit bis:

Pollicitast magico saga ministerio. I, 2, 42.
Cum mea ridebunt vana magisteria. I, 4, 84.

Lygdamus bis:

Vanum nocturnis fallit imaginibus. 4, 56.
Isque pater, quo non alter amabilior. 4, 94.

Propertius decies octies, et quidem novies in libro primo:

Contactum nullis ante cupidinibus. I, 1, 2.
Illis ampla satis forma pudicitia. I, 2, 24.
Nescit amor priscis cedere imaginibus. I, 5, 24.
Occidit Argivae fama pudicitiae. I, 15, 22.

Janua Tarpeiae nota pudicitiae. I, 16, 2.
A dolor, ibat Hylas, ibat Hamadryasin. I, 20, 32.
Candida purpureis mixta papaveribus. I, 20, 38.
Errorem blandis tardat imaginibus. I, 20, 42.
Quaeris pro nostra semper amicitia. I, 22, 2;

ter in secundo:

Hic Ixioniden, ille Menoetiaden. II, 1, 38.
Tanta in qua populus lusit Erichthonius. II, 6, 4.
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas. II, 7, 18;

qui versus propter nomina propria excusari possunt; quater in tertio:

Rumpat ut adsiduis membra libidinibus. III, 8, 14.
Spiritus admisso notus adulterio. III, 27, 38.
Thyrsin et adtritis Daphnin arundinibus. III, 32, 68.
Laudatur faciles inter Hamadryadas. III, 32, 76;

semel in quarto:

Et ponit duras inter ephemeridas. IV, 23, 20;

semel in quinto:

Frange et damnosae iura pudicitiae. V, 5, 28.

Ex his iterum videmus, Propertium in ultimis libris strictius regulas metricas servasse, quam in prioribus, illum etiam Lygdamum in illis libris superare. Tamen propter nomen proprium versus:

Quae notat Argynni poena Athamantiadae. IV, 6, 2[illegible];

admittendus est.

d) Supersunt apud Propertium sex versus, in quibus poeta vocem monosyllabam in fine posuisse videtur:

Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est. II, 6, 40.
Limina persuasae fallere rima sat est. V, 1, 146.
Et cava suscepto flumine palma sat est. V, 9, 36.
Uni siqua placet, culta puella sat est. I, 2, 26.
Laus erit in magnis et voluisse sat est. III, 1, 6.
Juppiter idcirco facta superba dea es. III, 31, 14.

Quinque priores versus, quum eodem modo conclusionem admittant, nos dubitare non sinunt, quin, quod L. Muellerus d. r. m. p. 372 annotavit: „ceterum ut obiter hoc moneam, satis esse vel sat esse pro sufficiendo positum rectius scribetur una voce", non solum iustum, sed vel necessarium existimemus, ne poeta peccasse videatur. Nihil tamen obstat quominus semper fiat, quum forma primae personae huius verbi exhiberi nequeat.

In ultimo vero exemplo e in es elidendumst, prout in est semper accidit, scribendumque dea's.

Haec fere de finibus pentametrorum dicenda putavimus. Si poetas inter se conferimus, laudem maximae diligentiae Lygdamo tribuere, Propertium autem saltem in libris posterioribus Tibullo meliorem praedicare debemus.

Sed iam ad fines ordinum metricorum per caesuras effectorum transimus, quos tribus capitibus fusius explicabimus, primo de finibus ordinum in pentametris per incisionem factorum disserentes, secundo de finibus ordinum in hexametris per caesuram semiquinariam, deinde de finibus ordinum per alias caesuras factorum.

§. 3.

De finibus ordinum metricorum per incisionem in pentamemetris effectorum.

Quia ut initio huius capitis exposuimus, regulae pro finibus ordinum metricorum per caesuras factorum ad unum tantum pedem pertinent, minore libertate poetae hac in re fruebantur, quam in formandis finibus versuum. Rhythmus autem horum, quos iam consideramus, ordinum non est dactylicus, sed anapaesticus, quare regulae, quas prius pro ordinibus dactylicis adtulimus, inverso ordine hoc loco adhiberi debent. Jam vero illud notandumst, saepius spondeos rhythmo anapaestico quam anapaestos adhiberi, si ultimus pes uno consistit vocabulo; si vero e duobus, poetas sibi non constare. Ad singula descendamus.

I. Fines uno verbo consistentes possunt formari

1. per verba metrum exaequantia hoc modo:

a. Mille alias *herbas* misceat illa bibam.
b. Versantur *celeri* noxia membra rota.

Fines priori similes apud Tibullum invenimus trecentos triginta octo, apud Lygdamum undeseptuaginta, apud Propertium septingentos et decem; secundo similes apud Tibullum centum et quadraginta, apud Lygdamum viginti quinque, apud Propertium trecentos quinquaginta quinque.

2. Arsim secundam in ultimo etiam vocabulo contineri permissumst, quae forma iterum saepius in vocibus spondaicis quam in anapaesticis invenitur:

a) Ad tua *rorantes* carmina flexit equos.
b) Somnus *sollicitas* deficit ante domos.

Priorem formam legimus apud Tibullum centies quadragies octies, vicies septies apud Lygdamum, quadringenties octogies bis apud Propertium; alteram apud Tibullum tricies, apud Lygdamum decies, centies quinquagies septies apud Propertium.

3. In admittendis formis longioribus poetae caute versati sunt, meliorem ceteris formam praebet versus:

Duxit *ăraturos* sub iuga panda boves;

quam formam, quamquam Lygdamus adhibere noluit, invenimus undecies apud Tibullum, vicies bis apud Propertium, semel apud Sulpiciam. Si vero pes primus spondeo efficitur, Tibullus tantum semel formam admisit:

Quos *ădmiratast* ipsa noverca prius. II, 3, 24;

Sulpicia bis:

Atque *Arretino* frigidus amnis agro. IV, 8, 4.
Non *tempestivae* saepe propinque viae. IV, 8, 6;

Propertius in libris quattuor prioribus tantum ter, novies vero in libro quinto.

Voces spondeo et anapaesto consistentes invenimus bis in fine ordinis apud Tibullum:

Tecum *interposita* languida veste cubet. I, 9, 56.
Et *testudinea* Phoebe superbe lyra. IV, 2, 22;

quinquies apud Propertium:

Nec *desiderio*, Tulle, movere meo. IV, 22, 6.
E *desiderio* sit color iste meo. V, 3, 28.
Ad *testudineae* carmen inerme lyrae. V, 6, 32.
Aut *Amphioniae* moenia flere lyrae. I, 9, 10.
Hic *Ixioniden*, ille Menoetiaden. II, 1, 38;

quorum ultimi duo versus per se admitti possunt.

Praeterea apud Propertium invenimus has formas in nominibus propriis una excepta admissas:

α) Colchis *Iōlcĭăcis* urat harena focis. II, 1, 54.
Qui puto *Arioniam* vexerat ante lyram. III, 21, 18.
Tulle, *Propontiaca* qua fluit Isthmos aqua. IV, 22, 2.
β) Aut *Ptŏlŏmaēēi* littora capta Phari. II, 1, 30.
Par *Aganippeae* ludere docta lyrae. II, 3, 20.
Non *Perimedeae* gramina cocta manus. II, 4, 18.
Cum *Menelaeo* surgeret e thalamo. III, 7, 14.
γ) Mox *Amythāŏnĭa* nupta futura domo. II, 4, 10.
Possum *inimicitias* tunc ego ferre Jovis. III, 4, 16;

qui versus inter bonos numerari nequit.

δ) *Thiodamanteo* proximus ardor Hylae. I, 20, 6.
Bellerophontei qua fluit umor equi. IV, 2, 2.
ε) *Thermodontiacis* turba lavatur aquis. IV, 13, 14.

Cautissime, ut iam prius diximus, etiam in admittendis formis legibus permissis Lygdamum versatum esse videmus, Propertium vero saepius nominibus propriis, quibus libertatem, quam sumpsit, defenderet, in carminibus usum esse.

II. Finis metricus etiam vocabulo iambico consistere potest, adsumpta e priore vocabulo ultima syllaba. Quod vocabulum, quamquam plerumque est disyllabum, ut hoc versu:

Vexit *et ipsa sui* Caesaris arma Venus;

vel in *que* desinit, ut hoc versu:

In *quamcumque voles* certe decorus ero;

tamen etiam trium vel quattuor syllabarum esse potest, ut his versibus:

Atque *Sabina feti* contudit arma Tati.
Non *operosa comis*, sed furibunda decens.

Hunc metricum finem Tibullus adhibuit decies, totidem in versibus Lygdamus, Propertius in centum nonaginta quinque locis.

Pro syllaba ultima praecedentis vocabuli Propertius semel monosyllabum posuit, hoc versu:

Qua pote, quisque in ea conterat arte diem. II, 1, 46; nam de versu IV, 6, 64: Hoc de me sat erit si modo matris erit; idem dicendum, quod jam prius de illo satesse notavimus.

III. Tertio ordo metricus desinere potest in monosyllabum longum, cui secundum regulas severiores monosyllabum praeponi debet, ut hoc versu:

Sic etiam de me pernegat usque viro;

quem finem invenimus undecies apud Tibullum, quater apud Lygdamum, semel apud Sulpiciam, tricies semel apud Propertium. Sed loco longi monosyllabi poetae etiam voces pyrrichiacas admiserunt, Tibullus semel:

Spes fovet et fore cras semper ait melius. II, 6, 20.

Propertius duodecies:

Dicitur et sine me dulcia regna negat. I, 8, 32;
Posse frui, fruar o solus amore meo. II, 1, 48.
Nec dicet: cinis hic docta puella fuit. III, 2, 6.
Frater ego et tibi sim filius unus ego. III, 11, 12.
Laetor quod sine me devia rura coles. III, 12, 2.
Si fallo, cinis heu sit mihi uterque gravis. III. 13, 16.
Cynthia, nam tibi me credere turba vetat. III, 30, 8.
Hoc ego, quo tibi nunc elevor ingenio. III, 32, 58.
Coniugium, pudor est non licuisse mori. IV, 12, 20.
Nec veniat sine te nox vigilanda mihi. IV, 14, 2.
Et quaedam sine me verba diserta loqui. IV, 23, 6.
Istius tibi sit surda sine aere lyra. V, 5, 58;

nam versum: Romanum satis est posse videre forum. V, 2, 6; huc non pertinere iam prius vidimus.

Priusquam tamen huic paragrapho finem imponamus, Properti versum IV, 22, 10:

Herculis Antaeique Hesperidumque choros; paullum inspiciamus. Unum exemplum synaphiae in caesura pentametri fortasse per malam scripturam introductum esse crederemus, nisi versus indoles omnino ceteris Properti par esset; nunc vero, ut scriptum legimus, relinquendum esse censeo, nisi illud que omnino delendum esse posset. Hiatus enim in caesura minus inpertinentem naturam prae se fert quam synaphia. Sed de hoc videant critici.

§. 4.

De finibus ordinum metricorum, per incisiones semiquinarias in hexametris effectorum.

Ne eadem, quae alio loco exposuimus, repetamus, statim regulas ipsas proponemus.

1. Fines ordinum metricorum per verba metrum exaequantia formatorum, ut his versibus:

a) Ebria cum multo traherem vestigia Baccho.
b) Et quamvis duplici correptum ardore iuberent;

invenimus pro primo casu apud Propertium quadringenties octogies quinquies, apud Tibullum centies vicies quater, apud Lygdamum tricies septies, in laude Messallae quinquagies semel, pro secundo casu apud Propertium ducenties nonagies bis, apud Tibullum nonagies quater, apud Lygdamum vicies sexies, in laude Messallae vicies bis.

2. Longiora verba et primo molossica, ut hoc versu:

Qualis Thesea iacuit cedente carina;

Propertius posuit trecenties octogies semel, Tibullus nonagies, Lygdamus vicies ter, laudator Messallae quadragies; deinde choriambica, ut hoc versu:

Nec minus adsiduis Edonis fessa choreis;

Propertius adhibuit centies septuagies bis, Tibullus tricies quinquies, Lygdamus decies sexies, laudator Messallae sexies; verba epitritum primum efficientia, ut hoc versu:

Inde cŏronatas ubi ture piaveris aras;

Propertius tricies, Tibullus octies, Lygdamus bis, laudator Messallae septies admiserunt; denique verba dispondea, ut hoc versu:

Hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra;

Propertius posuit quinquies, Tibullus bis, Lygdamus semel. laudator Messallae septies; quibus adnumerari debet Properti I, 18, 31:

Sed qualiscumque's resonent mihi Cynthia silvae.

Longiores voces Tibullus et Lygdamus reiecerunt, laudator Messallae adhibuit hoc versu:

Quis Amythaonius nequeat certare Melampus. 120;

Propertius in nominibus propriis decies:

α) Templa Pŭdicitiae quid opus statuisse puellis. II, 6, 25.
Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis. III, 4, 1.
Jam tibi Iasonia notast Medea carina. III, 19, 29.
Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum. III, 30, 37.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis. IV, 13, 13.
Victor Oiliade, rape nunc et dilige vatem. V, 1, 117.
β) Jam Pāndioniae cessit genus Orithyiae. I, 20, 31.
γ) Sunt Agamemnonias testantia littora curas. IV, 6, 21.
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae. V, 1, 111.
δ) Amphitryoniades qua tempestate iuvencos. V, 9, 1.

praeterea in duobus versibus:

Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint. III. 5, 7.
Tecta superciliis si quando verba remittis. IV, 7, 25.

Omnes quas adtulimus formae regulam licet non eodem modo sequuntur, formas tamen longiores, quas ultimo loco posuimus, raro invenimus.

3. Finem ordinis metrici duabus vel tribus vocibus formatum vario modo poetae admiserunt.

a) Finem, quo voci iambicae syllaba vocis praecedentis, quae qualis communiter adpareat, supra demonstratumst, adhaeret, ut hoc versu:

Quod si iura fores pugnasque imitata Laconum;

Propertius adhibuit ducenties sexagies sexies, Tibullus septuagies septies, Lygdamus decies sexies, laudator Messallae vicies septies, quibus addas versum Properti IV, 24, 19:

Mens bona siqua dea's tua me in sacraria dona.

b) Fines binis monosyllabis consistentes, ut hoc versu:

Ipsa loquar pro me, si fallo poena sororum;

Propertius posuit undecies, Tibullus octies, Lygdamus bis, laudator Messallae ter, quibus tres Properti versus adiungi debent:

Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis. IV, 8, 19.
Et durum Zethum et lacrimis Amphiona mollem. IV, 14, 29.
Arma tuli quondam et memini laudabar in illis. V, 2, 27.

c) Finem monosyllabo longo et pyrrichio consistentem, ut hoc versu:

Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulchrum;

Propertius posuit vicies sexies, Tibullus octies, Lygdamus semel, laudator Messallae bis; quibus accedunt Properti versus:

Nam quotiens Mutinam aut civilia busta Philippos. II, 1, 27.
Hannibalis spolia aut victi monimenta Syphacis. IV, 10, 59.
Geryonis stabula et luctantum in pulvere signa. IV, 22, 9.

d) Fines voce iambica et monosyllaba brevi consistentes, ut his versibus:

Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis.
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos;

apud Propertium legimus quater, semel apud Lygdamum, semel in laude Messallae.

e) Unus, qui fortasse regularis appellari potest, finis superest, consistens binis monosyllabis et brevi praecedentis vocis ultima syllaba; ubi tamen notandumst, loco brevis monosyllabi apud Propertium semper poni disyllabum, cuius ultima syllaba elisast, ita ut has formas inveniamus:

Non ego firmus in hoc, non haec patientia nostro. Lygd. 2, 5.
Illi carus ego et per me carissima Roma. Prop. I, 8, 31.
Tela fugacis equi et bracati militis arcus. IV, 3, 17;

cuius formae exempla prostant apud Propertium quinque, singula apud Tibullum, Lygdamum, Sulpiciam.

4. Praeter hos fines unus apud Tibullum, septem apud Propertium leguntur versus, quibus regulae violantur, quibus tamen rusticitatis paullum eo ablatumst, quod per synaloephen ultima vocalis vocis praecedentis cum monosyllaba sequenti cohaeret. Sic legimus apud Tibullum:

Te canit agricola, e magna cum venerit urbe. I, 7, 61;

apud Propertium:

At si distulero haec nostro mandata timore. IV, 15, 7.
Et si quo Ortygia et visendast ora Caystri. IV, 22, 15[1]).
Sic te servato, ut possint gaudere parentes. I, 21, 5.
Orgia Musarum et Sileni patris imago. IV, 2, 29.
Castra decem annorum, et Ciconum manus, Ismara capta. IV, 11, 25.
Aut spatia annorum aut longa intervalla profundi. IV, 21, 31.
Ignes castrorum et Tatiae praetoria turmae. V, 4, 31.

Reliquis enim duobus versibus nescio an melius hephthemimerim tribuere possis:

Una aut altera nox nondumst in amore peracta. III, 19, 3.
Ut Maeotica nix minio si certet Hibero. II, 3, 11.

Quid vero de his sentiamus, iam prius expositumst, tantum addere possumus, Lygdamum etiam hac in re ceteris firmiorem formas regulis contrarias devitasse.

§. 5.

De finibus ordinum metricorum per alias incisiones effectorum.

Metrici ordines in versibus hephthemimeri praeditis inveniuntur vel duo vel tres, quia trithemimeris, qua ordo tertius creatur, saepius dest.

Quattuor igitur modi hic sunt observandi: potest enim sola hephthemimeris poni, vel cum penthemimeri podica coniungi, vel cum trithemimeri vera, vel denique cum trithemimeri et penthemimeri podica. In casibus duobus prioribus duo creantur ordines metrici, in duobus posterioribus tres, de quibus iam agendumst.

A. De finibus ordinum metricorum per solam hephthemimerim effectorum.

1. Optimus finis ille est, qui consistit voce iambica et syllaba ultima praecedentis vocis saltem trisyllabae, ut his versibus legimus:

Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque.
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis.
Desine dissimulare, deus crudelius urit.
Quisquis inornatumque caput crinesque solutos;

1) Per scripturam visenda est L. Muellerus huic versui mederi studet, tamen, quia unicum exemplum apud elegiacos est, deinde quia solum in versibus, in quibus nulla adest caesura, per haec remedia caesuram creare licet, nos non dubitavimus veram scripturam visendast in hunc versum inducere.

quem finem duodecies apud Tibullum, septies apud Propertium, bis in laude Messallae, praeterea in hoc Properti versu invenimus:

Aut in amore dolere volo aut audire dolentem. IV, 7, 23.

2. Fines peioris indolis (quia caesura post tertium trochaeum abest), quos Tibullus vitavit, efficiuntur

a) vocibus choriambicis, ut in hoc laudatoris Messallae versu, praeter quem nullum admisit:

Temperat alter, et alterius vires necat aer. 168;

quem finem quater apud Propertium legimus:

Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos. II, 6, 29.
Me quoque consimili impositum torquerier igni. IV, 5, 39.
Cum mihi somnus ab exequiis penderet amoris. V, 7, 5.
Cynthia gaudet in exuviis victrixque recurrit. V, 8, 63.

b) vocibus molosseis, his quattuor Properti versibus:

Nec non exanimem amplectens Briseis Achillen. II, 9, 9.
Nec sic errore exacto laetatus Ulixes. III, 6, 3.
Pulverulentaque ad extremas stat femina metas. IV, 13, 7.
Dein quemqumque locum externae tetigere puellae. V, 8, 83.

c) vocibus epitritum primum efficientibus:

Si te Eoa Dorozantum iuvat aurea ripa. V, 5, 21.
Andromedeque et Hypermestre sine fraude maritae. V, 7, 63.

Exempla, quae huic ordini adscribere possemus, a Lygdami carminibus omnino abesse, iam prius notavimus.

B. De finibus ordinum metricorum per hephthemimerim cum penthemimeri podica coniunctam effectorum.

1. Pauci et simplicitate eminentes pro regularibus admittendi sunt fines:

α) Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro.
β) Tu tamen abstineas aliis, nam cetera cernet;

quorum primum Tibullus posuit quadragies semel, Lygdamus quater, laudator Messallae ter, Propertius quadragies sexies; alterum Tibullus vicies bis, Lygdamus semel, laudator Messallae sexies, Propertius vicies novies, Sulpicia semel, quibus versibus adnumerari debet Properti IV, 8, 43:

Inter Callimachi sat erit placuisse libellos.

2. Praeterea semel apud Tibullum (II, 1, 63), semel apud Lygdamum (2, 7), bis apud Propertium (III, 26, 7; IV, 4, 41) formam invenimus:

Hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque;

denique apud Propertium legimus:

Me legat adsidue post haec neglectus amator. I, 7, 13.
Hic mihi perpetuo ius est, quod solus amator. III, 13, 35;

nam tertium versum:

Sed quocumque modo de me periura mereris. I, 8, 17;

(cui respondet Tibulli I, 9, 67: Tune putas illam pro te disponere crines; qui quarto ordini inserendus erit) huc pertinere nimis pertinaciter non affirmabo.

C. Fines ordinum metricorum per hephthemimerim cum trithemimeri coniunctam effectorum.

I. Secundam versus partem, quae per hephthemimerim efficitur, primum inspiciemus.

1. Finis regularis ille est, qui voce iambica et syllaba ultima vocis praecedentis saltem disyllabae consistit, his modis:

a) Nam veneror seu stipes habet desertus in agris; (quadragies bis apud Tibullum, ter in laude Messallae, tricies bis apud Propertium.)

b) Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster; (sexagies bis apud Tibullum, semel apud Lygdamum, quinquies apud Sulpiciam, quadragies ter apud Propertium, undecies in laude Messallae.)

c) Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes; (decies octies apud Tibullum, semel apud Lygdamum, quinquies in laude Messallae, decies quater apud Propertium.)

quibus addas versus:

At bona, quae nec avara fuit, centum licet annos. Tib. II, 4, 45.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata. I, 10, 39.
Ut Semelast combustus ut est deperditus Io. Prop. III, 28, 29.
Haec certe deserta loca et taciturna querenti. I, 18, 1.
Sub terris sint iura deum et tormenta nocentum. IV, 4, 39.

2. Fines regulam primam violantes invenimus maxime verba molossica et choriambica, ut his versibus:

Signa tamen tibi lecturo pars oblita derit.
Ferte et opes; ego composito securus acervo;

quorum primum Tibullus adhibuit bis[1]), laudator Messallae quater[2]), Propertius decies novies[3]); secundum Tibullus posuit quinquies[4]), laudator Messallae semel[5]), Propertius septies[6]); praeterea anapaestica:

Rura colam frugumque aderit mea Delia custos;

ut Tibullus scripsit I, 5, 21, laudator Messallae 101, Propertius quater (I, 14, 23; III, 1, 1; 14, 9; IV, 14, 23).

1) II, 3, 41; IV, 4, 13.
2) 44, 64, 91, 93.
3) I, 9, 1; 19, 25; II, 3, 1, 3; 6, 37; III, 7, 51; 8, 7; 10, 19; 15, 41; 18, 7; 20, 43; 28, 13; 12, 7; 32, 33, (39); IV, 8, 1; 21, 7; V, 3, 3; 5, 7.
4) I, 1, 77; 5, 1, 27; II, 5, 1; 6, 11.
5) 192.
6) I, 8, 25; III, 7, 19, 33; 17, 3; 19, 7; IV, 21, 17; 23, 21.

Praeter haec exempla invenimus apud Tibullum:

Phoebe sacras Messalinum sine tangere chartas. II, 5, 17;

apud Lygdamum:

Ite domum, cultumque illi donate libellum. 1, 17;

in laude Messallae:

Nec quaeris, quid quaque index sub imagine dicat. 30;

apud Propertium:

Nullae sunt inimicitiae nisi amoris acerbae. II, 8, 3;

quae formae inter bonas vix numerari possunt.

II. Pro prima parte versus multi fines regulares enumerari possunt, quos hic breviter recensebimus.

1. Finis potest esse spondaica vox:

Te spectem, suprema mihi cum venerit hora; qualem invenimus decies octies apud Tibullum, octies in laude Messallae, vicies novies apud Propertium;

2. vox anapaestica:

Neu strepitu terrete pedum, neu quaerite nomen; (quadragies semel apud Tibullum, bis apud Sulpiciam, quater in laude Messallae, tricies semel apud Propertium.)

3. vox molossica:

Consuescet numerare pecus, consuescet amantis; quem finem Tibullus octies, Sulpicia bis, laudator Messallae semel, Propertius duodecies posuerunt;

4. vox choriambica:

Interea, dum fata sinunt, iungamus amores; (novies apud Tibullum, semel apud Lygdamum, ter in laude Messallae, undecies apud Propertium.)

5. Finis potest consistere voce iambica, addita ultima vocis trochaicae praecedentis syllaba:

Adde merum, vinoque novos compesce dolores; quem legimus tricies semel apud Tibullum, singulis locis apud Lygdamum et apud Sulpiciam, quater in laude Messallae, decies quater apud Propertium.

6. Finis potest consistere voce longa monosyllaba et praecedenti voce pyrrichiaca:

Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes; (decies quinquies apud Tibullum, singulis locis apud Lygdamum et apud laudatorem Messallae, undecies apud Propertium.)

7. Denique finis consistere potest voce iambica et monosyllaba praecedente, vel binis monosyllabis longis, vel monosyllaba longa et brevi cum ultima primae vocis syllaba, ut his versibus:

Ferte et opes, ego conposito securus acervo.

Nec tu sis iniusta, Venus, vel serviat aeque.

Iste quod est, ego saepe fui. sed fors et in hora; (ter apud Tibullum, quinquies in laude Messallae, ter apud Propertium.)

8. Praeter hos fines duos alios invenimus:

α) Ludite iam nox iungit equos currumque sequuntur; (quinquies apud Tibullum[1]), semel in laude Messallae[2]), novies apud Propertium[3]).)

β) Illic est quicumque rapax mors venit amanti; (ter apud Tibullum[4]), quinquies apud Propertium)[5])), quibus tanto opere versuum pulchritudo violatur, ut eos potius ad primum ordinem referamus. In his tamen versibus Tibullus numquam caesuram post tertium trochaeum neglexit, Propertius ter in libris prioribus. Versus Properti III, 7, 33:

Fluminaque ad caput incipient vocare liquores;

melius ad priorem ordinem referri potest.

D. Fines ordinum metricorum hephthemimeri cum trithemimeri et penthemimeri podica coniuncta effectorum.

1. Fines ordinis secundi pauci esse possunt; regulares tantum duo:

a) Quid credam? nempe haec eadem se dixit amores.

b) At circa gravibus pensis adfixa puella;

quorum primum Tibullus decies quinquies, Lygdamus sexies, laudator Messallae quinquies, Propertius vicies sexies, alterum Tibullus vicies bis, Lygdamus quater, laudator Messallae sexies, Sulpicia ter, Propertius tricies septies adhibuerunt. Formam, quam admittere possumus, Tibullus et Propertius ternis locis posuerunt:

At tu qui potior nunc es mea fata timeto.

Denique invenimus apud Propertium:

Tertius haud multo minus est cum ducitur annus. IV, 14, 7.

Sed facias divum sator, ut Romana per aevum. V, 2, 55.

Obstupuit regis facie et regalibus armis. V, 4, 21.

2. Prior vero ordo variis modis finitur; regulares tamen fines sunt sex, quos modo (C. II, 1—6) enumeravimus:

a) O quantumst auri potius pereatque smaragdi.

b) Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat.

c) Hesterna quam te solum quod nocte reliqui.

d) Interea nigras pecudes promittite Diti.

e) Saepe velut gemmas eius signumve probarem.

f) Me vocet in vastos amnes nigramque paludem;

quos Tibullus tricies bis, Lygdamus octies, laudator Messallae novies, Sulpicia ter, Propertius quadragies quinquies adhibuerunt.

---

1) I, 6, 51; 10, 51; II, 1, 9, 87; 2, 9.

2) 97.

3) I, 2, 9; 15, 25; III, 1, 15; (7, 33 ?); 32, 55; IV, 9, 5; 15, 23; 20, 5; 21, 5.

4) I, 3, 65, 81; 9, 57.

5) I, 19, 25; II, 8, 3; III, 8, 7; 20, 33; IV, 20, 17.

Praeter hos apud Lygdamum semel[1]) apud Tibullum sexies[2]) apud Propertium novies[3]) finem sequentem legimus:

Fingere tunc didicit caussas, ut sola cubaret;

et apud Tibullum semel[4]), apud laudatorem Messallae semel[5]), apud Propertium ter[6]) finem hoc modo formatum:

Illi sint comites fusci, quos India terret;

quos ad secundum ordinem referemus. Ut de primo etiam pede nonnulla addere possimus, versuum numeros adiecimus.

Eodem fere modo versus Tibulli duo unus Lygdami, quattuor Properti, hoc modo formati:

At si pro dulci reditu quaecumque voventur;

ad secundum ordinem referri possunt.

Remanent, quos adponamus, duo Properti versus:

Ille vel hic classes poterat vel perdere muros. III, 15, 33.

Tuscus ego et Tuscis orior nec paenitet inter. V, 2, 3;

quibus huic capiti finem imponemus, nam de iis, qui iam supersunt, octo versibus caesura feminea praeditis, quos prius adposuimus, quid sentiat, facile quisque perspicere potest.

De primi pedis metricis legibus ad illos, quorum numeros modo notavimus, versus quadraginta tres referemus, ut videamus, legem a L. Muellero prolatam, in primo pede spondaicam vel dactylicam vocem non esse ponendam ab elegiacis minime esse servatam.

De his alio loco plura. De metricis quarti hexametri pedis regulis pauca addemus. Saepius enim audivimus post trochaeum quartum caesuram ponere non licere, ita ut tres modi supersint, quibus licite pes quartus formari possit: nam potest consistere spondeo, vel caesura potest poni post arsim dactyli, vel nulla in dactylo. Longe ceteris saepius exempla pro primo casu invenimus, ceteri tamen reiciendi non sunt. Apud Lygdamum enim, quem L. Muellerus hanc ob rem extollit, post quartum trochaeum nulla incisio in versibus triginti duobus quarto dactylo praeditis invenitur. Tibullus etiam in versibus nonaginta octo libri primi dactylum posuit, tamen semel tantum (I, 9, 83) caesuram post quartum trochaeum admisit:

Hanc tibi fallaci resolutus / amore Tibullus;

in secundo vero libro, in quo septuagies in quarto pede dactylum posuit, novies caesuram trochaicam admisit; sexies in versibus sexaginta octo dactylicis laudis Messallae, et bis in viginti sex versibus libri quarti caesuram trochaicam legimus. Propertius etiam cautius in libro primo quam in ceteris versatus est, nam in versibus centum et uno dactylicis tantum septies, in secundo libro in versibus quadraginta octo iterum septies, in tertio libro in versibus centum quadraginta quinque vicies ter, in quarto libro in versibus centum sexaginta septem tricies bis, in quinto in versibus centum quinquaginta novem vicies novies caesuram trochaicam admisit. In prioribus igitur carminibus cautius versati sunt poetae, quam in posterioribus, prae ceteris tamen libro Tibulli primo laus tribuendast. Sed de his alio loco plura dicemus.

1) 4, 91.
2) I, 6, 11; 8, 31; 10, 7; II, 2, 19; 5, 101; 6, 33.
3) I, 10, 19; III, 8, 11; 15, 37; IV, 8, 7; 14, 7; 21, 27; V, 2, 37; 5, 47; 11, 101.
4) II, 3, 55.
5) 208.
6) I, 9, 31; III, 8, 55; 18, 19.

Si denique iam omnia, quae hucusque quattuor capitibus exposuimus, brevi quasi indice, quo ante oculos legentium sub uno quasi conspectu ponantur, comprehendamus, invenimus, in admittendis vocalibus brevibus, consonis muta cum liquida sequentibus, Lygdamum ceteris strictiorem accuratioremque fuisse, Propertium ei propius accedere, post quem laudatorem Messallae, denique Tibullum ponere debeamus; in admittendis elisionibus vocalium brevium Lygdamum ceteris severius regulas servasse, caute versatos esse Tibullum et ceteros, maiore libertate usum esse Propertium; fere idem dicendum esse de elisione vocalium mediarum et vocalis **e** in **est**, et de elisionibus longarum vocalium, atque hoc esse confirmandum iudicio de versibus duas pluresve elisiones continentibus; nostra tamen sententia Tibullum omnium maxime naturam elegiarum perspexisse in ponendis caesuris, cui laudatorem Messallae, si de hexametris loquamur, adiungere possimus, Propertium autem et Lygdamum fere aequales hac in re ultimum locum tenere; Lygdamum vero in regulis de metricis finibus observandis ceteros facile superare, quamvis Tibullum, si eum cum Propertio vel cum laudatore Messallae conferamus, cautissime versatum esse pronuntiemus oporteat. Itaque etiam metricis his observationibus elucere videtur, librum tertium et primam libri quarti elegiam, quae sub nomine Tibulli prostant, ab eo composita non esse; has vero partes inter se tantum differre, ut duos potius quam unum eas composuisse dicamus.

Numeri carminum et versuum, quos ex Muelleri editione laudavimus, comparati cum Lachmannianis Properti.

Lachmann.	Nostri.
I, 1, 1 — 8, 27.	I, 1, 1 — 8, 27.
9, 1 — 9, 18.	8, 27 — 8, 45.
10, 1 — 23, 10.	9, 1 — 22, 10.
II, 1, 1 — 8, 15.	II, 1, 1 — 8, 15.
9, 1 — 9, 24.	8, 16 — 8, 40.
10, 1 — 10, 52.	9, 1 — 9, 52.
III, c. 1.	III, c. 1.
Appendix ad c. 1.	c. 2.
2, 1 — 15, 8.	3, 1 — 16, 8.
15, 9 — 15, 32.	17, 1 — 17, 24.
16, 1 — 22, 34.	18, 1 — 24, 34.
22, 35 — 22, 46.	25, 1 — 25, 12.
23, 1 — 25, 22.	26, 1 — 28, 22.
26, 1 — 26, 18.	28, 22 — 28, 40.
27, 1 — 30, 94.	29, 1 — 32, 94.
IV, 1, 1 — 24, 20.	IV, 1, 1 — 24, 20.
24, 20 — 24, 38.	25, 1 — 25, 18.
V, 1 — fin.	V, 1 — fin.

DATE BORROWED	DATE DUE	DATE BORROWED	DATE DUE
	JAN 10 '51		
C28 (1149) 100M			